De partibus

CORPORIS HVMANI ET

de Anima, eiusque potentijs,

LIBRI DVO

Ex Schola VIIvirali ad Albim.

MATTHAEVS DRESSERVS.

VVITEBERGAE,
Excudebant Hæredes Iohannis Cratonis,
ANNO M. D. LXXXI.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

Biblioteka Uniwersytecka
Starodruki
w Toruniu

Of. 6.4.3760

HONORATISSIMIS VIRIS, VIRTVTE ET PRVDENTIA PRAEstantibus, Dominis Consulibus & Senatoribus vrbis Pirnæ, in ducatu Princip: Elect: Sax: Dominis & amicis suis officiosè colendis.

Matthæus Dresserus S. D.

CVm tanta sit veterum, & inprimis recentium librorum copia in omni disciplinarum genere, vt oneri magis quàm emolumento esse discentibus videantur: dubitari potest non immeritò, vtrum plura edere scripta in hoc tempore expediat, nec ne. Etsi autem fatendum est, multa nondum satis adhuc explicata esse in omni doctrina: magis tamen in eam sententiam inclino, vt existimem, non laborandum esse docentibus, vt libros nouis accessionibus augeant, sed vt scriptos & editos à maioribus fide bona custodiant, curaque

& diligentia conueniente discentibus inculcent. Non enim hi nos sumus, qui aut inuenire meliora, aut augere ab alijs vtiliter inuenta possimus: sed tanquam intellectus patiens, vt Aristotelico hoc vtar verbo, vel discipulorum more, præceptorum viæ insistere atq; ingredi nos potiùs decet, & acceptam ab ijs, tanquam per manus, doctrinam probè, integrè, inuiolatéq; propagare. Intra has metas si labor noster in docendo coërceretur: minus turbarentur discentium ingenia, & vsum maiorem, absq; vlla dubitatione, doctrina nostra ad Ecclesiam & Remp. affereret.

Hoc me conatum esse in hoc libello ingenuè protestor. Non enim aliud mihi propositum fuit quicquam, quàm vt doctrinam præceptoris nostri communis, quam in libro de anima tractauit, breuius aliquanto explicarem, quò ad captum discipulorum meorum magis directa accommodataq; videretur. Cum enim in Academijs passim scriptum illud à plerisque enarretur: non fas mihi esse putaui, eundem cum Academijs librum in hac schola

exponere

exponere: sed satius esse duxi in secundis aut tertijs ab Academijs me consistere, & in docendo maiorem multo simplicitatem breuitatemq; vsurpare. Hoc itaque consilio præsentem libellum discipulis meis dictaui, secutus maximè Domini Præceptoris viam & ductum, & quæ ille fusius aliquanto declarauit, ego contraxi, & in angustum adduxi, vt comprehendi faciliùs à rudioribus possent.

Si quis vero hoc non contentus, amplius à me quærat, cur tradendam meis scholasticis talem doctrinam existimauerim: expedire facile possum. Satis enim de hoc me meum purgabit officij munus, quod in tradendo eas literas atque artes versatur, quæ res quasq; suis nominibus appellare, & diserte efferre docent. Iam vero quid est cæterarum rerum nomina & vsum inquirere, sui vero ipsius corporis & animæ partes atq; facultates appellare non posse? Rectè enim nos ab alienis speculationibus & curis domum reuocat versus ille Homericus, Odyss. δ. Qui domi quæ sunt præcipua cura complecti atq; indagare iubet. Quod vbi fecerimus, mala nos simul & bona inuenturos pronunciat:

ὅτι τὸ ἐν μεγάλοις καινὸν ἀγαθόν πάντως.

Siue igitur nouum hunc libellum, siue alio quocunq; nomine appellandum aliquis censuerit: ego scholasticum eum esse simpliciter volo, inseruiturumq; illum esse vsibus discipulorum meorum penitus confido. Vt enim aliud commodum nullum inde percipiant: appellare tamen conuenientibus nominibus latinis, gracis & germanicis membra corporis proprij discent, & de facultatibus animæ doctrinam attingere atque gustare poterunt: quo instructi magis paratiq; non ita multo post ad Academias progrediantur.

Non erit omnino inutilis aut infrugifera opera mea, præsertim: sed Typographi diligentia desiderabitur, qui mandato illius ea fortasse iubet parvulum libellum vapulare. Nempe hinc auditores intemperiuerint & nouarum inuentionum auidissimi fiant.

Quod si vocabulorum, quibus res in quotidiano vsu versantes, & sensibus ipsis vbiq; obuiæ, copia atq; facultate informare pueros vtile est, si præceptorum doctrinam interpretando inculcare discentibus necessarium ducitur: reprehendi sanè à nemine hic labor meus debebit, vtpote qui totus in his duabus partibus consumitur, vt & nomina rerum in corpore & anima, admiranda arte ac sapientia DEI opificis, oculis & reliquis sensibus nostris subiectarũ

studiosi

studioſi cognoſcant, & ad ipſam doctrinam de anima ab artificibus explicatã præparentur. Hoc ſi aſſecutus fortè ſum, nihil à docentis munere, atq; officio meo alienum feciſſe videbor, dum ad ſcholas dimanare hæc dictata mea paſſus ſum. Apparebit, n. me fide bona reddidiſſe diſcipulus, quæ à præceptore accepi, nec ab eius veſtigijs vſpiam ferè diſceſſiſſe, niſi cũ diſcipulorũ meorũ captus quadã puerilio exponi poſtulauit.

Quanquam reperiuntur paſſim nonnulla ad illuſtrandũ huius doctrinæ vſum neceſſaria à me adiecta. Quod certè ipſum quoq; ad docentis munus pertinere manifeſtum eſt. Nec me fateri pudet, in hoc adiutorem ſe mihi præbuiſſe Ioannem Sagerum, ludi illuſtris & Reipub. Myſenenſis Medicum, eruditum inprimis & induſtrium, qui nonnulla, quæ ad hoc inſtitutum meum pertinebant, liberaliter mecum communicauit.

Hæc vero cum ex ea ſchola prodeant, ad quam vos quoq;, Conſules & Senatores Reipub. Pirnenſis, veſtros & ciuium veſtrorũ filios, conceſſu Illuſtriſſimi Princip. Elect. Sax. mittitis: rem me facturum putaui

vtriusq; nostrum persona dignam, si in vestro nomine diuulganda curarem. Vobis etenim cognoscere ex hoc libello absq; dubio iucundum erit, qua via, qua fide, quave simplicitate, liberos vestros, quos curæ meæ committitis, erudiam. Mihi vestrum de meis laboribus, quos in docendo sustineo, iudicium & approbatio magnæ voluptati & incitamento erit, vt alacri animo, totoque impetu animi in eandem curam in posterum etiam tempus incumbam. Quamobrem spe bona hunc libellum exire patior, & in autoritate vestra delitescere volo: à vobisq; Consules & Senatores optimi, summa contentione hoc peto & quæso, vt in partem optimam accipiatis. Pro quo vicissim quicquid est in me studij, laboris, ingenij, quicquid in hoc munere scholastico fide, assiduitate, & constantia possum, id omne vobis liberisq; vestris policeor ac defero. Valete. Myssenæ è ludo VI Ivirali, Cal. VI Ibris, Anno Christi Iesu millesimo quingentesimo Octogesimo.

LIBER

LIBER PRIMVS

DE PARTIBVS HVMANI CORPORIS.

De Titulo Libri.

CVm homo totus ex corpore & anima conſtet, prius partes, ex quibus corpus conflatum eſt, exponere oportet, tum de anima, eiusq; viribus, atq; potentijs diſſerendum eſt.

Eſt autem pars idem quod membrum, membra verò corporis humani ſunt partes integrales opificij ſeu fabricæ humani corporis. Et quidem aliæ dicuntur ſimilares, aliæ diſsimilares.

Similares, Græcè ὁμοιομερῆ, vel ὁμογλωῆ, ſunt ſimplices, quæ eandem habent naturam, & appellationem cum toto. Vt: Caro eſt pars ſimilaris, quia ſimplex eſt, & vniuſmodi. Nam quælibet pars nihil eſt niſi caro. Sic quælibet pars aquæ eſt aqua, quælibet pars aeris, eſt aer.

Diſsimilares, ἀνομοιομερῆ ſiue ἑτερογλωῆ, ſunt membra compoſita, quæ ex ſimplicibus, ſiue ſimilaribus conflatæ ſunt, vt: Manus eſt pars diſsimilaris, quia compoſita eſt ex oſsibus, carne, venis, neruis, vnguibus.

Appellantur etiam aliæ partes corporis principes, vt cerebrum, cor, epar, iccirco, quia vniuerſum corpus regunt. Nam cerebrum animalem facultatem, cor vitalem, iecur naturalem cæteris membris ſuppeditat.

Aliæ sunt ministrantes, vt nerui, arteriæ, vasa seminaria, quod reliquarum partium quasi famuli sint.

Situs membri est sedes seu locus ipse, quem in corpore tenet.

Vsus vero est officium seu actio & vis, quam vnaquæq; pars in corpore exercet. Constat autem humanum corpo ex tribus, ex solidis, humidis, & spiritibus. Solida sunt ossa, caro nerui, musculi, venæ, arteriæ, cartilagines, tunicæ. Humida sunt quatuor humores, sanguis, pituita, bilis flaua, & melancholia. Spiritus est flamma impertiens viuificam actionem, & vim omnibus membris, ipsorum naturalem calorem, qui ἐν δυνάμει est, ad agendum excitans.

DE VTILITATE COgnitionis partium corporis humani.

1. Absq; vlla dubitatione cognitio naturæ, & partium eius est dux ad agnitionem opificis Dei, ostendens eius sapientiam atq; potentiam ac bonitatem, simulq; ad admirationem & prædicationem illius, tanquam tacitus quidam præco, vt Nazianzeni vtar verbis, nos inuitans. Ex quo sane non minus vere quam pie Galenus vocat hoc ipsum explicandi & cognoscendi partes corporis studium, ἱερὸν λόγιν, καὶ ὃ δημιουργήσαντος ἡμᾶς ὕμνον ἀληθινὸν, sacrum sermonem, & hymnũ verum conditoris nostri. Et Aristoteles Ethicorum 7. cap. 14. πάσῃ φύσει ἔχει τι θεῖον. In omnibus naturæ partibus est quiddam diuinum. Et 1. de par-

Praefert Aristoteles doctrinam de Anima vtilius Philosophiæ partibus reliquis, quia plus habet dignitatis quam reliquæ partes cognitio.

de partibus animalium cap. 5. ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεσί τι θαυμαστόν. Nihil est in natura quod non habeat aliquid admirationis.

II. Pars sapientiæ & eruditionis humanæ magna est seipsum nosse, hoc est, membra sui corporis & facultates animæ perspectas habere. Quod enim à sapiente dictum est: Nosce teipsum: non tam ad moralem doctrinam, quàm ad hanc Physicæ partem de natura membrorum spectat.

III. Cum valetudo, secundum Ciceronem, duabus rebus sustentetur, noticia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ aut prodesse solent, aut obesse: Certum est ad valetudinis curam & conseruationem multum conferre partium corporis nostri & animæ scientiam, quantulamcunque tandem assequi possumus. Notum est Siracidæ præceptum de tuenda valetudine, cap. 37. Fili mi habeto noticiam tui corporis, & observa eas res, quæ aut prodesse solent, aut obesse. Non enim omnia omnibus prosunt, nec omnes omnibus delectantur.

IIII. Cognitio partium corporis animæq; virium non solùm neruos suppeditat orationi, sed eandem etiam auget & ornat. Ex quo Plato in Phædro Naturæ scientiam perneceſſariam esse ait illi, qui cupit euadere disertus.

DE MEMBRIS.

De Pede.

PEs, Græcè πούς, Fuſs. Item der gantze ſchenckel qui & magnus pes dicitur, Græcè σκέλος,

σκέλος, estq; totum membrum à natibus vsque ad plantam.

Planta pedis, πάρος Fusſolen.

Digitus pedis, Ein zeen.

Calx vel calcaneum, πέρνα Ferſe.

Talus, ἀστράγαλος, Knod.

Crus Schenckel/ habet duo ossa, maius vocatur tibia, κνήμη Schienbein/ minus fibula, περόνη, die kleine Röhr.

Sura, γαστροκνημία Waden/ est caro in posteriore parte cruris.

Genu, γόυ Knie/ cuius flexus est signum subiectionis, reuerentiæq;. Item nutus diuini seu misericordiæ signum est genu, vt in versu Homerico est: ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Sed hæc quidem in DEI genibus sita sunt.

Poples Knieb ug/ ἰγνύς, ἰγνύα, cauitas posterior, flectendi cruris causa facta.

Patella seu mola, ἐπιγονατίς, rotula genu, Knie/ ſcheibe/ est os anterius in genu.

Femur seu femen μηρὸς, der öberſte Schenckel/ à natibus vsq; ad genu.

Podex, anus der Hinder.

Nates vel clunes Arſsbacken/ γλουτοὶ.

Cotyla vel acetabulum est sinus seu cauum iu ima parte ossis natium, der eingebogen ort oder grübletn am hindern.

Coxa seu coxendix die Hüfft ἰσχία, sunt ossa natium, lumbis proxima, Ideoq; nates Aristoteli ἰσχία σαρκώδη dicuntur.

DE DORSO.

DOrsum vel tergum νῶτον Rücken, E regione thoracis est, cuius pars, in qua onera gestantur, ad imam ceruicem, λοφία vocatur, vnde est verbũ λοφᾶν, onere depositio quiescere.

Spina dorsi Rückgradt/ ῥαχίς, in medio dorsi, quæ propriè est ipsa spondylorum series, quam & veteres Latini spinam nominarunt, sicut Celsus inquit. Caput spina excipit, quam & Poetæ aliqui κλόνιν appellarunt, tota; vniuersa spina in quatuor partes distinguitur: In collum, cuius septem sunt vertebræ: dorsum, quod duodecim constat spondylis. Lumbos, quorum quinq; sunt vertebrę, os sacrũ, & quod sub eo est, os κόκκυγος. Porro sustinet ῥαχίς omnia ossa, tanquam truncus, & carina corporis humani. σύριγξ ἱερὰ fistula sacra, meatus est continens medullam, Ein Rhöre darin das marck ist.

Spina in 4 partes dispertitur:
Collum. 7
Dorsum. 12.
Lumbi. 5
Os sacrum

Spinæ medulla vel medulla spinalis, νωτιαῖος μυελός, Arabicè Nucha, das marck im Rückgradt. Homerus στονόεντα appellat, Ipsos vero Spondylos ἀτραγάλους. Spondyli seu vertebræ, ossa similia verticillis, quibus fusus aggrauatur, Rückgelenck / wie ein wirtel / prosunt ad spinæ flexum, suntq; decem & septem, quorum nonnulli peculiares appellationes sortiti sunt: Nam primus spondylus super quo caput flectitur, ἀτλαντοφεὺς nominatur, quòd vna cum capite, super secundo spondylo circumagatur. Alter

ἄξων

ἄξων, item ὀδὰξ κωνοειδὴς atque πυραμοειδὴς nominatur, quod cuſpidis aut pyramidis vel axis modo extuberet, ſuper quo caput vna cum prima ceruicis vertebra, veluti ad axem circumducitur, habetq; hæc vertebera duos proceſſus, quorũ alter primo, alter vero tertio ſpõdylo inſinuatur. Vltimo aũt ceruicis ſpondylus à Baiulando Atlas dicitur. Reliquas duodecim vertebras dixerunt ῥαχίτας, quia veteribus illarum ſeries propriè ῥάχις appellata eſt. Dicuntur etiam μασχαλιαῖαι, id eſt, axillares, quæ ſunt ad axillas, ſicut reliquæ à coſtis πλευρίτας. Duodecimus vero ſpõdylus ἀναζωστὴρ, id eſt, præcingens. Poſtea lumborum primus ſpondylus à renibus, νεφρίτης, Extremus verò ἀσφαλίτης, id eſt, fulciens & firmans ſacro oſſi inſiſtens, appellatur.

Os ſacrum, id eſt grande, quia eſt latum & amplum ſub dorſo, ex oſsibus ſex compoſitum, baſis inſtar reliquarum vertebrarum. Huius connexus in partu mirabiliter aperitur.

Lumbi Lenden/ ἡ ὀσφὺς, qui & cinctus appellatur.

Πλευραὶ coſtæ, quarum duodecim ſunt in quolibet latere, proſunt ad dilatandum, & conſtringendum pectus. Ac ſeptem ſuperiores dicuntur coſtæ veræ lange Rieben. Inferiores nothæ vel mendoſæ, item χόνδροι, id eſt, cartilago, quia ſunt cartilagineæ & molles, kurtze Rieben oder Knorpel. [Ariſtoteles verò octo vtrinq; coſtas exiſtere dicit, γνησίας tantũ, non νόθας intelligens. Quarum duæ primæ Polluci ἀνώνυμοι, ſequentes duæ στερναὶ à firmitate, poſt has duæ στερνιτίδες, reliquæ duæ in

Coſtarum nomina.

Carti-

Cartilaginem desinentes παράσυρα dicuntur. Oriuntur autem septem superiores à spondylis seu vertebris thoracis, & terminantur ad στέρνον, cartilagine intercedente. Inferiores vero paulatim breuiores fiunt, ne ventriculus repletus nimiũ comprimatur, & ob eandem causam molliores sunt, ac ad διάφραγμα desinunt. Cum in aliquib. corporibus tredecim reperiantur vertebræ: totidem etiam in illis costæ existunt: cum in singulis tot sint costæ, quot vertebræ thoracis. Et opinio est decimã tertiã vertebram cum suis costis Adamo exemtam, & inde Euam conditam esse, vt postea retinuerit duodecim costas, quot adhuc in viris, & in mulierib. frequentissime reperiuntur. Pausanias quoq in Atticis refert, quod quidam Protophanes Magnesius, costas habuerit συμφυεῖς cõnatas, vsq; ad ἐλαχίστας κοιλιδίους νόθας, id est, os continuum siue connexũ ab humeris ad eas costas, quæ vocantur nothæ.

τὸ πλευρὸν, & ἡ πλευρὰ latus, quod subter alas est dextrũ & sinistrũ: Recentiores verò πλευρὰν appellarunt membranam intus costas succingentẽ, quæ Galeno est ὑμὴν περιζωμα, & ὑμὴν ἢ χιτὼν περιζωκὼς τὰς πλευράς, das heutlein vber die Rieben gespannet. Inde πλευρίτης νόσος, morbus laterũ, ortus ex inflammatione τῆς πλευρᾶς.

DE VENTRE.

Venter seu aluus ima, der bauch.

Testes ὄρχεις vel δίδυμοι, i. e. gemelli Hoden/prosunt ad percoquendũ semen. Scrotũ vel Scortũ vulgo ὄσχεον der Sack. Virga, seu penis, coles, mentula καυλὸς & φάλλος est pudendum virile. Glans der Kolb am selben gliedt.

Præ-

Præputium ἀκροβυστία, est pellis vel cutis tegens glandem, Vorhaut.
Pudendum, inguen, genitale, die Scham.
Pubes, die haar am Scham.
Matrix siue vterus, vulua, die Mutter / in muliere receptaculum est fœtus, Græcè μήτρα καὶ ὑστέρα.
Vasa spermatis, vel seminaria, continent semen in viro & muliere.
Vesica, Blase / receptaculum vrinæ destillantis ex renibus per vreteres.

Figuram habet Vrnæ similem, constat ex membrana neruea, fibris, venis, arterijs & musculo vno, vt attrahere vrinam, retinere, & expellere possit. Porrigit ceruicem ad virgam, vt per illam effundere vrinam queat. Læsio ferè lethalis est: iccirco sectionem in calculi doloribus in ceruice seu collo fieri necesse est.

Vreteres, οὐρητῆρες, sunt vrinarij meatus, per quos vrina in vesicam defluit.

Renes, νεφροί duo sunt, dexter & sinister, facti vt attrahant & excipiant aquosam superfluitatem, sero similem, ex caua vena destillantem.

Intestina, σπλάγχνα, Gedærm / sunt duplicia, continua tamen, gracilia & crassa, Dünne vnd dicke. Gracilia sunt tria, quæ etiam lactes in homine præsertim, & oue nominantur à Plinio. I. Duodenum δωδεκαδάκτυλον, longum scilicet duodecim digitos, descendit rectà ab interiore orificio ventriculi. II. Ieiunum, νῆστις quod inanius est aliquanto reliquis, propter celerem transitum Chyli. III. Tenue, λεπτὸν. Crassa itidem tria numerantur. I. Cœcum τυφλὸν, quod vnicum tantum os seu foramen habet, & simile est

le est lumbrico in orbem conuoluto. II. Colum ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι, à torquendo, quod dolores magnos ciet, quando spiritu crasso aut pituita obstruitur. Hi dolores vocantur colici, seu passio colica. III. Rectum, ὀρθὸν ἐντερον, quod rectà ad anum vsq; fertur, Barbari vocant Longam, **Mastdarm oder Afterdarm.** Constant intestina panniculis & fibris, vt attractioni & expulsioni inseruiant.

Vsus intestinorum præsertim graciliorum est, vt excipiant Chylum, & magis etiam coquant. Deinde habent anfractus plures, quo commoretur in illis chylus, ne semper cibos ingerere necesse sit. Reliqua inferiora feces & excipiunt, & transmittunt.

Mesenterium vel μεσάραιον, est panniculus colligans intestina ad dorsum. [Dictum est μεσεντέριον, quod in medio intestinorum situm est, tanquam vinculum seu stragulum, **die mitten der Eingeweide.** Mesaræum vero à venis Mesaraicis, quæ sparsæ in Mesenterio, ad intestina tendunt, nomen habet.]

Exta. **alles Eingeweide oder das gehenck.**

Ilia, **das weiche des Bauchs** / à laxitate.

Anterior pars sub nothis costis, vmbilico proxima, nominatur κενεὸν à vacuitate, **die Wüste.**

Vmbilicus, **der Nabel**/ per Metaphoram etiam significat medium. Vmbilicus enim est medium humani corporis.

Abdomen vel sumen, **Vnterbauch**/**da die Eingeweide ligen.** Item, **das Schmeer.**

Ventriculus, κοιλία, instrumentum nutritiuæ potentiæ, cibum appetit, concoquit, alterat, & velut in lacteum succum, vi sua naturali conuertit.

Figura eius est rotunda, oblonga, cum fundo ampliore.

Situs est sub diaphragmate, dextram versus.

Orificia seu ostia duo habet, superius cibum & potum accipit, & καρδία nominatur.

Inferius πυλωρός, ianitor seu portonarius dicitur, & transmittit chylum, & superfluitates ad intestina, vergitq; ad dextrum latus. [Villos habet, seu fibras, vt attrahere cibum possit, eoque percepto, constringi & claudi, rursumq; expulsionis causa laxari.

Mira Ventriculi vis.

Sua natura quidem ventriculus frigidus & siccus est: & quamuis à vicinis membris calorem accipiat, vt ab epate, splene, corde, Ommento, spiritu: tamen naturali potentia potissimum concoctionem cibi perficit.

χύλος, chylus, est liquor, similis cremori ptisanæ, **Wie ein grützbrey.**

Oesophagus siue stomachus est canalis vehens cibum ab ore in ventriculum, **die prustantröhr/ oder Schlund.**

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

tenuis & pinguis

Omentum est tegumentum, vel tunica seu membrana, **ein Netzlein oder heutlein.** Græcè σαγήνη, rete, vel reticulum instar marsupij, tegit ventriculum & intestina. [Peritonæum est inuolucrum, tegens siue circundans membra inferioris ventris ventriculum, intestina, omentum, epar, splenem, renes, &c. Arabicè Ziphac, **wie ein wadtsack.**]

Pancreas est caro glandulosa, explens loca vacua inter ventriculum, epar, & splenem, **Eitelfleisch.** πᾶν, omne κρέας, caro, **Heydrosen.**

Viscera, σπλάγχνα membra sunt maiuscula thoracis præsertim, vt cor, pulmo, iecur, splen, **die innerliche**

ſnnerliche glieder im leibe. σπλάγχνα ἐλέους, Lucæ 1. Viſcera miſericordiæ, id eſt, clementiſsima affectio, gnedigſtes erbarmen oder mitleiden. Et verbum σπλαγχνίζεσθαι, id eſt, affici maxima miſericordia in corde ſuo, id eſt, condolere ex animo.

Hypochondria, das Weiche der Seiten / partes ſupra vmbilicum ex vtroq; latere.

ἧπαρ, latine iecur, eſt viſcus ſiue organum nutritiuæ potentiæ, & ſanguinis officina.

Conſtat ex carne rubea, quæ coagulato ſanguini penè ſimilis eſt.

Situs vel ſedes eſt in dextro latere ſiue hypochondrio, ſub diaphragmate.

Formam habet ſemicirculi vel lunæ, cum à coniunctione prodit, ſeu noua eſt.

Temperamentum eius eſt calidum & humidum.

Vſus eſt conuertere chylum à ventriculo acceptum, in ſanguinem, qui ſpargitur in totum corpus ad nutriendum illud.

Venas præcipuas habet duas, vna vocatur portæ vena, quæ chylum à ventriculo transmiſſum in epar inuehit.

Altera vena caua κοίλη, quæ ſanguinem vehit ad cor.

Gremium, der Schos.

Veſica fellis, eſt folliculus in medio epate, pyro longiuſculo ſimilis, qui bilem flauam, ſeu fel excipit, die Blaſe darin die gall iſt.

Splen, σπλὴν, latine lien, die Miltz / eſt receptaculum lutoſi, & feculenti ſanguinis, in iecore confecti, ſitus eſt in ſiniſtro hypochondrio.

DE PECTORE.

PEctus, στῆθος, Brust/ est pars à collo vsq; // ad septum transuersum. Vocatur etiam medius venter inter caput & imum aluum.

Thorax die förder Brust/ est pars anterior à collo ad Ilia vsque, quæ costis circundatur.

Στέρνον, media pars pectoris, sub quo cor est situm, das Hertzgrüblein/ id est, sinus, qua se pectus aperit infra mammas. Galenus autem medium os in pectore, in quod costæ inseruntur, στέρνον appellat, & alibi inquit:

Cor situm est sub στέρνῳ.

Diaphragma, Φρένες, præcordia, septum transuersum, ein fehll oder Netz/ distinguens infimum ventrem, in quo epar, & ventriculus est, & superiorem, in quo cor, & pulmo situs est.

Prodest ad respirationem. Cum enim dilatatur, aër attrahitur, cum contrahitur, aër expellitur.

Mediastinus est panniculus geminus, diuidens pectus per medium, secundum longitudinem, in partem dextram & sinistram.

Capsula cordis, περικάρδιον, est inuolucrum seu membrana, cor tanquam arca cooperiens: vt madore suo, velut rore, cordis calorem in motu assiduo, temperet seu refrigeret.

Cor fons vitæ, seu officina spirituum vitalium, qui diffusi per vniuersum corpus, vim exercendi vitales actiones singulis membris impertiunt.

Situm est in medio pectoris, sic tamen vt mucro nonnihil ad sinistrum latus erigatur.

Figura eius est pyramidalis, basis est aliquanto latior, & gibba, mucro verò ad latus sinistrum erectus.

Sinus

Sinus seu thalamos, aut ventriculos habet duos, dextrum & sinistrum. Dexter quidem sanguinem ex epate per cauam venam excipit, & præparat: cuius pars vna ad alendum pulmonem mittitur, per venam arterialem. Altera vero, & quidem subtilior in sinistrum cordis sinum exudat.

Sinister vero ex isto subtili sanguine gignit spiritus vitales, qui velut flamma vel halitus per arteriam aortam, in omnes corporis partes diffusi, vitam, calorem, & agendi vim illis præbent.

Motus cordis naturales sunt pulsus & affectus.

Pulsus est dilatatio, διαστολὴ, & contractio συστολὴ: Hic pulsus necessarius est ad attrahendum & expellendum aerem, quo temperetur flamma cordis, & generari, transmittiq; spiritus possint.

Affectus est motus cordis sequens cognitionem, prosequensq; aut fugiens obiectum, ex quo tandem nascitur vel delectatio, vel dolor.

Vsus cordis duo sunt: primò, gignit & fundit spiritus, & calorem viuificum in totum corpus.

Secundo, ciet motus suaues vel tristes lætitiæ, mœsticiæ, etc. quo lætari rebus conuenientibus, & dolere aduersis possimus. Est enim sedes, fons, & causa affectuum.

Pulmo, πνεύμων, ἄλμα μαλακὸν, Platoni molle ventilabrum, spirationis causa factum.

Constat ex carne aërea, rara, spongiosa, quæ coagulati sanguinis spumæ similis est.

Figuram habet vngulæ bouis, & distinguitur quatuor fibris, quas λόβους vocant.

Motus pulmonis continuus est siue assiduus, seruiens spirationi & voci: vocaturque dilatatio & constrictio. Haurit enim aerem assiduè, eumque præparatum ad cor transmittit, & vicissim fumos ex corde euehit per os.

Vsus est, primùm, vt sit organum spirationis. Secundò, vt seruiat formationi vocis, quæ in spiratione aeris, perinde vt sonus in fistula, perficitur.

Mamma, vel mammilla στῆθος, Brust/ seu μαζὸς vel μαστὸς, à sono sugentium, Item vbera ὄθηκα. Pectori quidem iuxta Aristotelem additæ sunt mammæ, ob eius amplitudinem. Galeno autem, vt cordis calorem defendant, & vicissim fortior fit calor mammillarum, ob cordis vicinitatem, ad lac coquendum. Deinde vt sit quasi penu alimenti nascentium, sed consilium opificis fuit, discernere homines & animantia, illo ipso mammarum ad pectus positu. Bestiæ tantum nutriunt sobolem, postea negligunt, & obliuio sequitur sobolis & parentum, quia vbera illis in posterioribus partibus sunt posita. Homines vero ex corde quasi transfundunt στέργω in sobolem, ac retinetur memoria, ac fit mutuus amor.

Papilla, θηλὴ Brustwertzlein, per quas infans lac ex mammillis sugit. Vnde verbum θηλάζειν id est, lac sugere. Dicitur autem latinis lac, quod eliciatur, ab antiquo verbo lacio.

Sinus, der Busen.

Præcordium, das Hertzgrüblein.

DE COLLO. Aspera arteria τραχεῖα ἀρτηρία, est fistula seu canalis à faucibus, vel nodo gutturis ad pulmonem porrectus, per quem aer inspiratur & expiratur, tum vox etiam formatur.

Aspera dicitur propter asperitatem cartilaginum. die scharff Keel/oder lufftröhre. vulgo, die vnrechte Keele.

Nodus gutturis, λάρυγξ, das Knöpfflein an der Keele/in quo vox formatur.

Epiglottis operculum laryngis. Gula

Gula, die speisstrasse.

Fauces, sunt summa pars gulæ, φάρυγξ, der Rache oder Schlund. pars colli interior. Φάρυγος.

Guttur, die Kele/quod tendit ad pulmonem.

Ceruix, das genick oder hinderhals/ αὐχήν.

Etsi Aristoteli totum collum est: tamen vtraque voce vtitur αὐχένα καὶ τράχηλον appellans τὸ μεταξὺ θώρακος καὶ προσώπου, totum illud quod inter thoracem & faciem interceptum est. Dicitur quoq; δέρη, vel δείρη: vnde δειροτομεῖν, decollare.

Cauum, quod collo & thoraci commune est inter duos iugulos existens, σφαγὴ nominatur. Vnde est σφάττειν, iugulare, mactare.

Iugulus vel iugulum der vörder hals vnter den kinn/ anterior pars colli. Græce κλεῖς, duo ossa à collo ad humeros extensa.

Tonsillæ vel glandulæ colli, Mandeln/ hoc est, Trüsen/oder knollen zu beyden seiten am hals.

Collum hals/τράχηλος, conditum est præcipuè propter τραχείαν, quam oportuit esse longiusculam, ad modulandam vocem. Itaq; nullum animal, cui deest collum, vocem edit.

Gurgulio, die gurgel.

Ἰτέαι, est caro glandulosa sub iugulo, substrata ascendentibus venis, & arterijs, do die Röte ausbricht im zorn.

Significat etiam ferociam, vel vt Cicero interpretatur, eam partem animæ, in qua irarum existit ardor.

Oesophagus, vel stomachus canalis transuehens cibum & potum in ventriculum. sup. 10.

Humeri, ὦμοι Schultern.

ὠ ἀκρώμιον humerorum eminentia siue cacumen.

Scapulæ siue spatulæ, ὠλάτας καὶ ὠμοπλάτας, sunt duo ossa lata, à ceruice vtrinq; tendentia, Schulterblat.

Metaphrenon est interstitium inter scapulas, latinè interscapilium, das zwischen den Schultern ist.

Axilla siue ala, Axel. μασχάλη.

Pili Subalares Haar vnter den Armen.

Brachium, βραχίων, Arm / pars ab humeris vsque ad cubitum. Celsus tamen & Hippocrates humerum nominant, Latini lacertum vocant.

Cubitus Ellebogen, à flexu brachij vsque ad καρπὸν, constat duobus ossibus, quorum maius est πῆχυς & περιπήχιον, & ὠλένη. Vnde nomen vlnæ latinis factum est. Breuius verò ac superius κερκὶς, id est, radius, & παραπήχιον.

Lacertus das förderste teil am arm / bis zu der hand.

Carpus est iunctura manus, das gelenck an der hand / græcè καρπός.

Metacarpium, der berg in der hand.

Manus, χεὶρ, organum organorum, secundum Aristotelem, & sapientiæ causa secundum Anaxagoram.

Palma, die flache hand / manus extensa vsq; ad digitos.

Palmus spacium est quatuor digitos latum, vier zwerch finger / oder ein hand breit.

Maior palmus duodecim, Græcè σπιθαμὴ, Ein Spann.

Vola

Vola θέναρ, das mittel der hand / est carnosa planities in manu.

Pugnus, ein Faust.

Pugillus, ein Feustlein.

θῆθος χειρός, est mons in manu depressior, sub monte pollicis. Interstitium verò monticulorum pollictis & manus μεταθήθιον nominatur.

Cæterum impressit natura miras significationes in ipsas lineas manuum, quæ Græcis γράμμαι & τομαὶ, id est incisuræ sunt, quarum obseruatio peperit χειρομαντείαν, id est, diuinationem ex inspectione manus. Vnde χειρομάντης & χειρομαντόμαι dicuntur, qui ex linearum inspectione diuinare solent. Inter has lineas eminet illa, quæ ζωηφόρος vitifera, vel linea vitæ dicitur, quæ scilicet circumscribit extremitatem & ambitum pollicis, de qua Aristoteles quærit, quare longæui sint, qui habeant integram lineam mediæ manus.

Digitus δάκτυλος, ein Finger. Constant digiti tribus ossibus, quæ nominantur σκυταλίδες scuticulæ & φάλαγγες siue φαλάγγια. Latine internodia, Knötlein an den fingern. Nodi græcè δάδες articuli die gelenck.

Condylus flexus digiti, qui in contracta manu maximè extat, vnde & pugnũ significat ein Faust/ & κονδυλίζειν pugno verberare.

Pollex ἀντίχειρ, quasi vicarius manus, quod vice vel loco manus sit in præhendendo, der daum men. Vocatur idem etiam δικόνδυλος.

Biblioteka Uniwersytecka Stanisławiki w Toruniu
BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

Index, siue salutaris δεικτικὸς, der zeiger oder förderste finger/ qui dicitur quoq; λιχανὸς à lingendo.

Medius, μέσος, der Mittelfinger. Dicitur etiam impudicus, & infamis, & verpus, der Arßfinger.

Medicus, proximus minimo, der Hertzfinger.

Auricularis seu minimus, der Kleineste oder ohrfinger.

Vnguis, ὄνυξ, ein Nagel am finger.

DE CAPITE.

TErtius venter, supremus, κεφαλὴ, caput.

Vua, Epiglottis, vel columella, das zepfflein im Halse.

Palatum, der Gawm.

Lingua, die Zunge/ est caro musculosa & fungosa, neruis, arterijs & venis abundans, vt sit instrumentum gustus & sermonis.

Vsus habet tres. I. Format sermonem. Et ne aresçat assiduo motu seu vsu sermonis, madefit saliua, destillante partim ex cerebro, partim exæstuante ex ventriculo. II. Est organum gustus. III. Prodest ad masticandum cibum. Sic autem formatur vox: Instrumentalis causa est guttur, vel in gutture ἀμυγλώττις, & lingua velut plectrum. Efficiens est vis cerebri & cordis. Cerebrum enim sensum & motum per neruos: cor vero spiritum per arteriam venosam suppeditat. Nerui igitur impellunt musculos: Musculi impulsi efficiunt expirationem vehementem, quæ exufflatio nominatur. Hæc inter exeundum verberata & repercussa à summa gutturis membrana vocem format.

Gustus græcè γεῦσις, der Schmack.

Gustare seu libare, Kosten.

Porro

Porrò sapores qui gustu iudicantur, sunt octo. 1. Dulcis γλυκύς, Süsse. 2. Acidus. ὀξύς, Sawer. 3. Austerus, αὐστηρὸς, Raw. 4. Acerbus στυφρὸς, Herbe. 5. Amarus, πικρός, Bitter. 6. Acris, δριμὺς, Scharff. 7. Pinguis, λιπαρὸς, Fedt. 8. Salsus ἁλμηρὸς, Gesaltzen. Dentes ὀδόντες, sunt triginta duo, sedecim videlicet in vtraq; maxilla, & vna quidem serie.

Quatuor priores dicuntur incisores, τομεῖς, quod cibum concidunt instar cultri. Item γελασῖνοι, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, à ridendo, quod in risu reteguntur.

Sequentes duo vtrinque canini vocantur, κυνοδόντες, à similitudine. Tertio loco sunt ab vtroq; latere quini γόμφιοι, maxillares, seu molares, quod cibum instar molæ cerealis comminuant, Backzeene. Vltimo loco sunt ὀψίγονοι, serotini, quod sero nascuntur, nempe ætatis anno vicesimo, vel interdum etiam octogesimo, ex quo σωφρονισῆρες appellantur, hoc est, sapientiæ dentes, Spet linge.

Dentatus, der starcke zeene hat.
Dentitio, wenn man zeene hecket.
Gingiua, Zanfleisch.
Mandibula vel maxilla, Kinbacken. Mentum, Kin.
Bucca γνάθος, die jnner backenhölle.
Os στόμα, Mund.
Rictus oris, zeene blecken.
Labrum vel labium, χεῖλος, Lippe.
Gena vel mala, πάρεια, Wange, sedes vel nota pudoris, intor aures & nasum.

Barba

Barba πώγων Bard.

Barbula, Bertlein. Barba prima, hoc est, incipiens. der erst heraus sticht.

Iulus, cui tenera lanugo ex genis enascitur.

Mystax Knebelbarth.

Vibrissæ, Nasenherlein.

Nasus Nase. Nares, Naselöcher. Est autem nasus organum olfactus siue adoratus. Hoc enim odores percipimus.

Odoratus, ein geruch / vel odor. Cicero. Iucundus est odoratus pomorum, die öpffel geben einen guten geruch.

Hortus odorifer, ein gart der einen guten geruch gibt.

Olfacio vel odoror, ich rieche. Et per Metaphoram perueſtigo: Primus hoc odorabar, id est, perueſtigabam.

Incendere odorem, Reuchern. Odoratio, das Riechen.

Odoro, ich mache einen geruch / vt apud Ouid. Odorare aera fumis, ein geruch machen in der Lufft.

Ἀρωδης fragrans, das wol reucht.

Fragrantia Ἀρωδία, ein guter geruch / à fragro, i.e. redoleo, ich gebe einen guten geruch.

Graueolens, das vbel reucht / δυσώδης,

Graueolentia δυσωδία, id est, grauis odor, ein böser geruch.

Nasum emungere, Schneutzen.

Nasus simus flache Nase.

Vsus nasi. I. seruit respirationi. II. Seruit formationi vocis. III. Attrahit odores bonos, & auersatur malos. IIII. Excipit mucum, siue superfluitatem cerebri.

Facies,

Facies das natürliche angesicht.
Vultus gestalt des angesichts.
Oculus, ὀφθαλμὸς vel ὄμμα, Auge / est organum visus.
Oculi hebetes, Blöde gesicht.
Oculi limi, Schele augen.
Oculi acres, acuti, Lyncei Scharffe Gesicht.
Oculi cerulei, Katzen angen.
Anguli oculorum, Augenwinckel.
Sinus oculi, die höle der augen.
Palpebra Augenliedt / velut tunica oculi.
Cilium βλεφαρὶς Augenbraun.
Supercilium ὀφρὺς, die obern Augenbraun.
Albumen oculi, vel albugo, das weisse im auge.
Iris est circulus in oculo.
Pupilla vel pupula Augapffel.

Tunicæ oculi sunt membranæ tenues, quarum à medicis quatuor tantum numerantur, quibus tres eius humores comprehenduntur. Exterior dura σκληρότης à dura membrana nerui optici producta, totum oculum complectitur, in ea autem parte, qua Iridi & pupillæ obducitur, appellatur cornea κερατοειδὴς, cuius pars, quam pupillam appellant, instar lucidissimi cornu, species visibiles transmittit, & humorem aqueum anteriorem continet.

Huic altera tunica connascitur, quæ à tenui meninge seu membrana nerui optici est, quæ & venulas sustinet, & dicitur vuea ῥαγοειδὴς, quod acino vuæ similis sit, & vbi eius foramen est, paululum deprimitur à maiore Iridis, quam efficit circuitu, suoq; foramine pupillam definit, interiorem aqueum seu albugineum humorem comprehendens, cuius perspicuitas transmittendis, recreandis, &

dis, & multiplicandis formis visibilibus seruit. Circa medium oculi intrinsecus tertia tunica tenuissima & pellucida obtenditur crystallino humori, κρυσταλλοειδεῖ, quo tanquam specillo mens vtitur, & exemtus non diffluit, alijsq; rebus impositus, eas maiores exhibet, Lentis ferè figura, aut veluti si ex media sphæra circulus alicuius crassitudinis sit ablatus, cuius humoris hemisphærium posterius innatat vitreo humori, vt dimidium eius recipiat dimidio reliquo extante. Postrema tunica ex substantia nerui visorij disseminata, hemisphęrio concauo, vitreum humorem, posteriorem oculi partem dimidiam explentem, amplectitur tanquam hamo, ἀμφιβληστροειδὴς, retiformis dicitur, non à plexu, sed retis similitudine, quod vni baculo rotundo, orbiculato annectitur, ipsosq; oculos luce ingenita præditos lucidissimus spiritus ex cerebro, vbi eius præcipua scaturigo est, per neruum opticum, cauum, copiosè influens, plurimum illustrat, quo ad interiorem sensum communem & phantasiam species seu imagines visibiles oculo, eiusq; facultati impressæ (quæ spiritibus animalibus, tanquam proprio instrumento vtitur) transmittuntur dijudicandæ. Oculus igitur ab Aristotele speculum animatum dicitur, (speculum verò oculus inanimis) in cuius medio tanquã in centro crystallinus humor, à figura & consistentia dictus, præcipuum visionis subiectum existit, cuiusq; causa reliqui humores & tunicæ sunt conditæ. Sed præterea ab alijs quæ additur tunica dicta ἐπιφεφυκὼς, id est, adnata, siue adhærens seu coniunctiua, vt Barbari loquuntur, ea ligamentum verius est, quo oculus alligatur supercilijs, & interioribus ossibus. Deinde & ea, quam Vesalius pilis palpebrarum confert, & anteriori vitrei humoris obduci, vt interstitiũ vitrei & aquei

humoris

humoris dicit, etiam est ligamentũ, quo vueæ, & ad eadem corneæ alligatur. Denique obseruatum est ab Arantio Anatomico Bononiensi sagacissimo, crystallinum humorem ea quoque parte, qua vitreo, quasi innatat sicut vitellus, in oui medio, albumini tenuissima pellicula obductum esse: ne cum subiecto humore confundatur.

Colores quos visu percipimus sunt varij, quorũ Aristoteles duos extremos constituit, Album & nigrum, & quinq; medios, aut ad Album, vel ad nigrum declinantes, sicq; enumerat septem.

1. Albus Weiss/ cum quo coniungit pallidum, & alios, qui tantum differunt secundum magis & minus, sicut & in sequentibus.
2. Fuscus.
3. Rubeus.
4. Purpureus.
5. Viridis.
6. Cæruleus.
7. Niger, quorum tamen quilibet sub se habet suos gradus, & species, licet non omnes noti sint.

Albus Weiss.

Candidus vel argenteus, Blancke.
Niueus, Schneeweiss.
Lacteus, Milchweiss.
Flauus Geel.
Heluus vel crocinus, Saffrangeel.
Rauus vel luridus, Schwartz geel.
Aureus, Goldtfarbe.
Ruber, Rodt.
Rubidus vel rubicundus, Rödtlich.
Rutilus, Fewerrodt.
Fuluus vel Mustellinus, Dunckelrodt / oder Leibfarb.
Flammeus, Liechtfarb.
Viridis vel herbidis, Grasgrün/ qui est principium

cipium nigredinis, aqueus humor in folijs stirpium siccatus fit viridis. postea maiore exiccatione flauescit, accedente frigore, folia fiunt lucida, & tandem nigra.

Melinus, Apffelgrün.
Russus, Leibfarbe.
Roseus, Rosenfarbe.
Cyaneus, Dunckelblaw.
Cœruleus vel cœrulus Himmelblaw.
Cœsius, Grawblaw.
Fuscus, Brawn.
Hyacinthinus vel violaceus vel Amethistinus, Veilbrawn.
Spadix vel spadiceus, Kestenbrawn/ oder brawnroht.
Ater vel niger, vel furuus, Schwartz.
Piceus, Pechschwartz.
Cinereus Graw oder Aschefarbe/oder schimel.
Liuidus Bleyfarbe.
Murinus, Meusfarbe.

Quomodo autem ex lumine, corpore perspicuo, & opaco colores generentur, & inter se naturaliter permutentur, sole occidente, vel oriente, in cœlo conspicitur, item quomodo ab albo ad nigrum fiat per colores medios naturalis transitus, alia tamen est eorum colorum ratio, qui per mistionem fiunt: vt ex albo copioso cum pauco nigro permisto fit color cineritius, Aschfarbe/ φαιὸς.

Auris, οὖς, Ohr/ anfractus flexuosos habet, ne sonus de repente, affatimq; ingrediens lædat sensum.

Auricula, λόβος vel λόβιον, Ohrleplin/ est cartilaginosa, & flexus habet, ne quid ex inopinato irruat.

Pinna πτερύγιον superior pars auris prominens.

Cauitas in auribus, das Hole.

Foramen

Foramen, πόρος ἀκουστικός, das Ohrlöchlein.

In cauitate auris anfractuosa sunt duo ossicula, vnum incudi, vel molari denti, alterum malleolo simile, quod incudi confertur, illud membrana obducitur, cui & chorda, stapedis instar, obtenditur, sicut in Tympanis sonus causa inferiori pelli expansæ neruum seu chordam subtendi videmus, quod à Vallopio obseruatum est.

Tempora κροτάφοι, der Schlaff/ bina sunt.

Frons, μέτωπον, Stirn.

Rugæ frontis, στιλίδες, Runtzeln.

Caput, κεφαλή, Heupt/domicilium cerebri & sensuum. Figura quidem debet esse sphærica, & exactè rotunda, sed vtrinq; tamen paulatim compressa.

Acuminatum caput peruersi ingenij nota est, quale habuit Therstes,

Sinciput, βρέγμα, anterior pars capitis.

Occiput ἴνιον, vel occipitium, posterior pars à vertice ad ceruicem. Hoc cum nimis est paruum, nec eminet, infirmam memoriam significat.

Vertex, κορυφή, der Wirbel.

Calua, vel caluaria, vel cranium der Hirnschall.

Pericranium die haut des Hirnschals.

Suturæ vel commissuræ cranij, die fugen des Hirnschals/oder bletlein/ græcè ῥαφαί, suntque tres, coronalis, sagittalis, & λεπιδοειδής, id est, squamosa.

Coma, crinis, capillus, capillitium, pilis, Haar/ est superfluitas ex crassiore humore & fuli-

gine, partim ornatus, partim vtilitatis gratia, vt videlicet tegat & calefaciat caput.

Cani, Grawhaar.

Cincinni, Kraushaar.

Cirrus, Haarzopff.

Caluus, Kaal.

Caluitium, Glatze.

Cæsaries, Manshaar so man abschneit.

Tricæ, id est, capillus intricatus, verwirret haar.

Cutis, δέρμα, Haut, est natiuum tegumentum corporis.

Cuticula, ἐπιδερμίς, Kleinheutlein.

Sub cute est membrana carnea, seu panniculus diffusus per totum corpus.

Inter cutem & membranam est adeps, πιμελὴ.

Cerebrum ἐγκέφαλος, Hirn / est sedes & organum sensuum interiorum, & domicilium lucis diuinæ, quantum in homine est reliquum.

Cerebellum παρεγκεφαλίς, Hinderhirn.

Dura mater μήνιγξ, crassa membrana, proxima cranio.

Pia mater, λεπτὴ μήνιγξ tenuis membrana interior, cingens cerebrũ immediatè tanq; inuolucrũ,

Sinus seu cauitates, qui & ventriculi dicuntur, in cerebro quatuor sunt, i. e. cerebrum distinguitur in quatuor partes, tanquam thalamos, siue cubicula.

Primus est ad dextrum latus, Secundus ad sinistrum. In his præparatur Spiritus animalis, vocaturq; hæc anterior cerebri pars, quæ organum est sensus communis. Tertius per capitis longitudinem extenditur, & est organum Phantasiæ, quæ primùm formare imaginationem & cogitationem incipit. Quartus & postremus oui penè magnitudinem

tudinem æquans, memoriæ seu recordationis organum est. In tertio cerebri ventriculo est glandula, κωνάριον, figuram habens nucis pineæ, vel turbinis, wie ein Zirbelnus.

Nates cerebri, γλουτὸν, pars cerebri est, natium vel clunium effigiem exprimens, vocatur etiam διδυμος.

Vermis, Πτέρυγες παρεγκεφαλίδες excrescentia vermicularis, vel vermi similis, est pars cerebelli prominentior, ein gewechslin wie ein Wurm.

Infundibulum, χοάνη, ein trichter/ pars cerebri à figura & vsu sic dicta quod per eã cerebri pituita, vel superfluitas in glandulam illabitur, vnde tandem in palatum sensim destillat, & foràs eijcitur.

Rete mirabile, vel plexus reticularis est contextus arteriarum boum, non hominũ, vt Galenus ait.

Plexus choroides est contextus venarum & arteriarum in cerebro, inuolucro fœtus similis.

Hactenus partes ferè dissimilares expositæ sunt, sequuntur similares.

Similares partes sunt: Caro, σάρξ, est corpus solidum & molle, ex crassiore sanguinis parte natum.

Os est corpus solidum & durum, ex semine generatũ, vt sit velut trũcus vel fulcrum corporis totius.

Sunt autem ossa in homine trecenta & quatuor.

Vniuersa ossium compages vocatur σκελετὸς, das nur bein hat.

Cartilago, χόνδρος, materia lubrica, & lenis, addita articulis, & omnib. extremis partibus, ne durius inter se collidantur ossa, Knorpel. Ner-

Neruus, νεῦρον Spannader/ instrumentum sensus & motus, contexitur è villis tenuissimis. Origo est è cerebro, ex quo septem paria prodeunt, aut ex spinali medulla, ex qua nouem & viginti, vel triginta paria seu coniugationes neruorum proficiscuntur, nempe ex septem ceruicis vertebris 7 paria, ex duodecim thoracis vertebris 12, à quinque vertebris lumborum 5, ab osse sacro sex.

Tendo vel chorda, τένων, οντος, instrumentum motus ex neruis & ligamentis concretum, ge eder der Maus am fleisch.

Ligamentum, σύνδεσμος, membrum neruo simile, durius tamen, ex osse aut cartilagine ortum. Edericht bandt an den gelencken der Glieder.

Villi sunt fila subtilia & tenacia, ἶνες, Löcke/ passim in neruis, & aljjs membris.

Vena, φλέψ, Blutader/ canalis est seu vehiculum sanguinis ex epate in vniuersum corpus.

Vsus duplex est: 1. Vehit sanguinem. 2. Elaborat exquisitius, & conficit sanguinem vi seu potentia naturali. Habet enim vim non tam attrahendi, quàm concoquendi. Sunt autem in homine venæ præcipuæ:

Vena portæ, est canalis satis amplus, & Iecoris manus dicitur, per quem chylus seu cremor ex ventriculo in epar ducitur. Huius ramus sub recto intestino fœculentum sanguinem in hæmorrhoidum fluxu expurgat, & dicitur die Rück oder gülden Ader.

Vena caua seu magna, κοίλη, κοὴ μεγάλη, ab insigni scilicet amplitudine, sanguinem à bile flaua & atra repurgatum, per ramos suos in conuexum Epatis dispersos, conniuentibus inter se vtrinq; venularum extremarum osculis, transumit, vehitque par-

partim ſurſum ad ſeptum transuerſum, & in dextrum cordis ventriculum: partim deorſum ad renes & inferiores partes: Eſt enim velut arbor diffuſa ramis. Vocatur etiam iecoraria, die Leberader/ ſanguinem vniuerſo corpori ad partium enutritionem diſpenſans.

Venæ emulgentes propagantur à vena caua in renes: ſic dictæ quod ſeroſam aqueamq; humiditatem ex ſanguine trahunt, & velut emulgent.

Vena arterialis à dextro ventriculo cordis vehit ſanguinem elaboratum in Pulmonem. Dicitur arterioſa, quod duplici tunica conſtat, arteriarum modo.

Vena ἄζυξ vel ἄζυγος, ſine coniuge, vel pari, prorſus ſolitaria, paulò ſupra cordis aurem dextram à vena caua exoriens, cuius vicem gerit, deorſum ad quartam vertebram dorſi delabitur, ſuoque fine cum magna arteria ſub ſepto transuerſo ad aliquot lumborum vertebras pertingit.

Vena vmbilici eſt, quæ per vmbilicum fœtus in vtero materno ingreditur, & alimentum illi præbet.

Vena humeralis, vel Cephalica, die Heuptader/ exterior inter pollicem & indicem ſecari ſoler.

Baſilica, epatis vena interior, die Leberader/ in dextro brachio.

Vena lienis, die Miltzader/ in ſiniſtro brachio interior.

Mediana, vel media inter exteriorem & interiorem, vel communis, die Hertzader/ oder Mediam/ in brachij flexu, ex axillaris & humerariæ propaginibus conflatur, ramis vtrinq; in illam concurrentibus.

Saphena, die Frawenader/ in cauo pedis.

Arteria, Puls oder Schlagader/ canalis eſt vehens ſpiritum vitalem ex corde in reliqua membra.

Est autem suauis coniunctio arteriarum & venarum, & quædam mutua officiorum communicatio: Nam venæ suppeditant sanguinem arterijs, tanquam alimentum. Vicissim vero arteriæ præbent venis spiritum, ne sanguis concrescat aut putrescat.

Arteria magna siue aorta, ἀορτὴ, ex sinistro cordis sinu in omne corpus diffunditur, & spiritum vitalem membris omnibus impertit. Estq; hæc stipes arteriarum.

Panniculus, ὑμὴν vel tunica χιτὼν, est membrana pertenuis ex neruis & ligamentis facta, vt muniat & alliget membra, ein dünnes zartes heutlein vber die glieder gespannet.

Musculus, μῦς, die Maus am fleisch, voluntarij motus instrumentum ex ligamento & carne conflatum.

Membrana, ein dünnes zartes heutlein oder fellein.

Fibra, ein kleines äderlein.

DE HVMORIBVS.

Quid sit.

Humor est succus naturalis, quo corpus totum nutritur, fouetur & conseruatur.

Quotuplex est humor?

Duplex: Alius secundum naturam: Alius præter naturam. Naturales humores sunt quatuor. Sanguis, Pituita, bilis flaua, & bilis atra. Vt enim in musto quatuor humorum discrimina deprehenduntur, nempe primùm flos vini ebulliens, secundò aquositas, tertiò fex, quartò vinum sincerum, & purum: sic ex chylo in epate partim fit verus sanguis,

guis, partim pituita ſubaquoſa, partim bilis flaua, partim craſſa, ſeu atra bilis, quæ vocatur Melancholia.

Sanguis eſt humor temperatus ex calido & humido, dulcis, vt ſit aptum, & conueniens nutrimentum corporis.

Pituita eſt humor frigidus, humidus & inſipidus, velut ſanguis crudus, ſubalbus, qui vehitur cum ſanguine, vt ardorem eius mitiget, & vlteriore coctione etiam in ſanguinem conuerti poteſt, iuuat diſtributionem humorum, & partes ſibi cognatas nutrit. Vocatur etiam φλέγμα, das weſſerige geblůt.

Flaua bilis, ξανθὴ χόλη, eſt humor calidus, ſiccus & amarus, qui tanq; ſpuma ſanguinis ſimul cũ eo vehitur, vt cognata membra alat, meatus aperiat, & penetret, das ſcheumigte geblůt. Vtilis ad nutritionem partiũ quæ ſimile habent temperamentũ.

Atra bilis vel Melancholia, naturalis eſt humor, frigidus, ſiccus, craſſus, niger, & acerbus, cuius pars cum ſanguine vehitur, vt eum faciat ſpiſſiorem, & nutriat oſſa ac ſplenem. Eſtq; velut fex, & ſedimẽtum ſanguinis: das ſchwartz geblůt.

Humores præter naturam totidem ſunt, qui & inſalubres appellantur, & nõ naturales, iccircò quia naturam lædunt: quod tunc fit, cum naturales ſuas qualitates amittunt, & degenerant. Vt cum Melancholia aduritur, fit vicioſa, & efficit furorem: Cum nimio phlegmate diluitur, fit aſinina, & frigidos morbos parit. Cum ſanguis degenerat, fit ſeroſus, vel aquoſus, & noxius, vt in hydrope. Cum rubra bilis aduritur, fit vicioſa & mordax. Cum phlegma à naturali qualitate recedit propter infirmam coctionem, fit humor aquoſus & noxius corpori.

Est etiam humor quidam natiuus,& primogenius,qui & humidum radicale vocatur, qui similaribus partibus ingenitus est,seu natura insitus. Nam ex primo ortu totius corporis membra perfusa sunt quodam humore rorido,& oleoso humido,nempe primogenio,habente ortum ex sanguine menstruo. Hic calori natiuo præbet alimentum. Ideoq; ab eo consumitur, & instauratione indiget, quæ fit per accessionem nutrimenti. Hunc solidam similarium partium substantiam appellat Galenus.

DE SEDE VEL *loco cuiusq; humoris.*

QVatuor isti qui in nostro corpore primi humores generantur, permisti continentur in vna massa sanguinis, quæ à potiore sui parte sanguis dicitur, exactissimè confusi, in venis insunt, quos medici tanquam proxima elementa corporis considerant. Qui vero extra venas à natura deriuantur,siue sit bilis flaua in vesicã fellis,siue ater humor, quem Splen attrahit, siue pituita,quæ in ventriculo ex cruditatibus generatur, vel mucus ex cerebro ad nares siue fauces destillans: nequaquam corporis nostri elementa sunt. Iccirco non humores,sed excrementa sunt,&dicuntur,quæ natura dum viget,per conuenientia loca, tanquam sibi inutilia extrudit: & flauæ quidem bilis excrementitiæ sedes est vesicula fellis,vnde per vrinam, atque aluum excernitur, & vocatur die Galle. Atræ bilis seu Melancholici humoris receptaculum est lien, à quo attractum partim in ipsius naturam conuertitur, partim ad ventriculum deijcitur.

DE

DE TEMPERAmentis.

TEmperamentum, κρᾶσις est commoderatio primarum qualitatum, hoc est, calidi, humidi, sicci, & frigidi.

Vsitatè vero temperamentum vocamus ab eo humore, qui exuperat in corpore. Inde Melancholicum dicimus, in quo atra bilis copiosior est: Sanguineum, in quo sanguis: phlegmaticum, in quo phlegma: Bilioſum, in quo bilis. Quæ igitur vires cuiusq; humoris sunt, eadem etiam est temperamenti ratio. Pituita efficit segnes, somnolentos, carnosos, obæsosq;, citò canescentes, Bilis iracundos, celeris ingenij, dexteritate animi, & prudentia præditos, agiles, leues mente, macilentos, confestim concoquentes cibũ. Inde est ἀκρόχολος, facile iracundia exardescens. Item ὀξύχολος, celer ad iram. Melancholia constantes, firmos, auaros, morosos, tetricos, tristes, inuidos, timidos. Sanguis moderatos, ridibundos, blandos, venustos, ac floridos. Talis igitur ferè quisq; est ingenio & moribus, quale est eius temperamentum. Id quod Galenus perspicuè docet in libello, cui titulus est: quod animi mores respondeant temperamentõ corporis.

Quæstio ex problematis Aristotelis sectione xxx, quæstione 1.

Cur omnes ingenioſi sive sint Philoſophi, sive Poetæ, sive alij artifices, videntur esse Melancholici?

Responsio. Quia humor Melancholicus, cum

firmus sit, efficit etiam spiritus & motus animi firmiores, acriores, ardentiores, & constantiores. Ex quo tale argumentum conficitur:

Spiritus firmior, & ardentior gignit sensum acriorem.
Melancholicus humor efficit spiritus firmos, & ardentes.
Ergo Melancholicus humor gignit sensum acriorem, & auget ingenium.

Non verò sequitur:

Omnis Melancholicus est ingeniosus.
Iste est Melancholicus.
Ergò est ingeniosus.

Respondendum enim est ad maiorem per distinctionem. Triplex est Melancholia, alia bona, mixta temperato sanguini; alia adusta, quæ furores inducit, Tertia asinina, copioso phlegmate diluta.

DE QVALITATIBVS & earum gradibus.

QValitates sunt duplices: aliæ primæ, aliæ secundæ. Primæ qualitates sunt, calidum, frigidum, humidum, & siccum. Harum duæ, calidum & frigidum, dicuntur actiuæ, ποιητικαὶ, quod vim agendi habeant. Reliquæ duæ, humidum & siccum, vocantur passiuæ, παθητικαὶ quod vim patiendi habent.

Secundæ qualitates sunt.

Graue *Leue*

Durum

Durum	*Molle*
Denſum	*Rarum*
Lubricum	*Aridum*
Aſperum	*Glabrum*
Craſſum	*Subtile.*

Gradus ſeu ordines primarum qualitatum in rebus naturalibus ſic diſcernuntur : Primus gradus eſt ἀναίσθητος, inſenſibilis, hoc eſt, ita tenuis, vt ſenſu percipi non poſsit. Secundus eſt ſenſibilis, αἰσθητός. Tertius lædens naturam, ſi non temperetur aliunde. Quartus interficiens vt venenum. Vt Zynziber calidum eſt in tertio gradu, & humidum in primo. Pulegium eſt calidum, & ſiccum in tertio ordine. Petroſelinum calefacit & deſiccat in tertio ordine. Piper eſt calidum & ſiccum in quarto gradu.

DE SPIRITIBVS.

SPiritus eſt ſubtilis flamma, vel aërea, ſeu potius ætherea ſubſtantia, vim ſeu facultatem exercendi actiones proprias ſingulis membris impertiens.

Spiritus eſt duplex, Alius vitalis, alius animalis. Spiritus vitalis eſt tenuiſsima flammula, genita ex ſanguine, & virtute cordis in totum corpus diſperſa, vt viuificum calorem, & vim ciendi motus, & actiones ei largiatur. Eſt definitio cauſſalis. Efficiens cauſa eſt δυνάμις φυσικὴ, id eſt, potentia naturalis in corde. Materia ex qua eſt ſanguis. Gignitur enim ex ſanguine, qui eſt in ſiniſtro cordis ventriculo. Forma eſt ipſa flamma volitans per omnes arterias.

Fina-

Finales causæ sunt duæ: 1. est, vt largiatur viuificum calorem corpori. 2. Vt sit instrumentum actionum, & motuum in toto corpore.

Spiritus animalis est velut radius stellarum, qui ex cerebro per neruos in vniuersum corpus diffunditur, vt motum sensumq; , & omnes denique actiones animales cieat.

Vnde generatur Spiritus animalis?

GEneratur ex spiritu vitali, virtute cerebri cocto & elaborato. Adijcitur à nonnullis tertius spiritus naturalis scilicet in iecore, qui est sanguinis tenuior substantia, vapori similis. Hic per venam cauam vnà cum sanguine in cor inuehitur, vbi vi cordis innata elaboratus, fit spiritus vitalis. Sic spiritus naturalis, quasi materia est spiritus vitalis, & spiritus vitalis vicissim spiritus animalis.

Finis Libri primi.

LIBER SECVNDVS

DE ANIMA ET POTENTIIS EIVS.

ANima Latinis ſpiritus ſeu flatus eſt: Græcè ψυχὴ, à ψύχω, quod ſignificat ſpiro: quia eſt vitæ & ſpiritus vitalis cauſſa in animantibus. Hebraicè Nepheſch, id eſt, flatus ſiue halitus ſeu ſpiritus vitalis. Inde eſt agere animam, pro conflictari cum morte. Et efflare animam, id eſt, mori. Ab anima fit animus, qui interdum pro anima vſurpatur, aliquando verò pro ardore ſeu impetu. Græcis eſt θυμὸς. Vnde eſt animoſus θυμικὸς, Muttig. Et, animatus benè vel malé, wol oder vbel zu mut.

Quid ſit Anima:

Ariſtotelis definitio libro ſecundo de Anima:

ψυχὴ ἐστὶν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ὀργανικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει.

Animus eſt actus primus corporis naturalis, organici, vitam habentis potentia.

Ἀνάλυσις definitionis:

Ἐντελέχεια eſt à voce ἐντελεχὴς, id eſt, perpetuus, continuus ſeu perennis, à τέλει, id eſt, perfectus, ex quo componitur ἐντελὴς perfectus.

Quidam

Quidam ἐντελέχειαν scribunt per δ, pronunciationis causa, quia τ post ν, mollescit, & pronunciatur vt δ. Significat igitur ἐντελέχεια perennitatem siue continuationem motus vel agitationem continuam. Estq; hæc vox genus in definitione animæ: cæteræ voces sunt loco differentiæ.

Prima) sc: tanquam fons & causa motus ac vitæ totius corporis. Discernitq; hæc vox motionem essentialem ab accidentali:

Motio vel motus est accidens.
Anima est motus vel actus.
Ergò anima est accidens.

Respondeo ad Maiorem per distinctionem, quia duplex est actus, alius essentialis, alius accidentalis.

Corporis naturalis seu physici) Vox physici discernit corpus naturale ab opere artificiali, quod non interna sua vi efformatur & mouetur, sed ab artifice extrinsecus saltem effingitur.

Organici) id est, habentis instrumenta seu partes siue membra, quæ sua natura cieri aut moueri possunt. Vt sunt in corpore non solum dissimilares & compositæ, sed etiam similares & simplices partes, per has enim tanquam per organa sua agit anima & actiones vitales exercet.

Habentis vitam potentia) id est, quod corpus à sejpso neq; vitam neq; viuentis rei operationem habet, sed hæc omnia ab Anima accipit, quæ corpori vitam, motum & calorem naturalem, reliquosque actus secundos confert. Distinguit enim Aristoteles inter potentiam & actum: vt δύναμις sit vis latens siue insita, in secunda specie qualitatis: ἐνέργεια verò siue actus, vis operans siue erumpens,

pens, in prædicamento actionis. Ita semen habet vitam potentia, id est, habet vim recipiendi vitam, siue crescendi, cum in solum commodum proijcitur: Sed nondum habet vitam actu, id est, non crescit, antequam in gremio terræ tepefactum radices agit, & herbescentem viriditatem profert. Sic ventriculus semper quidem habet δύναμιν coquendi cibum: sed non semper habet actum, id est, non semper coquit.

Est autem Aristotelis definitio animæ, communis homini cum brutis & plantis, estq; inseparabilis, id est, separari à corpore non potest, sed cum eo simul interit atq; moritur.

Specialis definitio animæ rationalis: Gen. 2. sic describitur anima: Deus inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ. Est igitur anima rationalis spiritus intelligens, & pars substantiæ hominis, quæ non interit cum corpore sed immortalis est.

Explicatio definitionis.

1. Anima est spiritus, quia à Deo inspirata est.
2. Est intelligens, quia habet insitas noticias de Deo, de discrimine honestorum & turpium, & libertatem eligendi bona, & reprobandi mala.
3. Est pars substantiæ hominis: quia est essentialis forma hominis, per quam & propter quam homo est talis, Se: viuus, intelligens. Absq; hac cadauer potius est & massa informis.
4. Est immortalis: quia est creata ad imaginem Dei. Vt igitur Deus non moritur: sic nec anima extingui potest. Quemadmodum filius Dei inquit, Matth. 20. Corpus quidem occidere possunt hostes, animam verò non.

Quod

Quod occidi non potest, est immortale.
Anima non potest occidi.
Ergò anima est immortalis.

5. Est separabilis, quia extincto corpore, ipsa superstes est, & tandem tamen rursus cum corpore copulabitur in vniuersali resuscitatione mortuorum.

OBIECTIO.

Alia anima hominis est mortalis, alia immortalis.
Ergò duplex est anima hominis.

Respondeo. Nego consequentiam, quia Moses nominat tantùm vnum spiraculum vitæ, quod noticias complectitur, & vitam, vim motumq; congruentem singulis partibus corporis impertit. Cum itaque corpus moritur, cessant quidem actiones animæ in corpore, sed nihilominus viuit & viget anima.

Quæ est sedes Animæ?

Quidam putarunt esse in corde, vnde cordatum dicimus quem prudentem iudicamus. Et ratio illustris est:

Vbi est fons & principium vitæ, ibi est Anima.
Fons & principium vitæ est in corde.
Ergo anima quoq; est in corde.

Medici, vt Galenus, in cerebro ponunt animæ sedem, ducti hoc argumento:

Vbi neruorum principium est, ibi animæ sedes est.
Neruorum principium est in cerebro.
Ergò animæ quoq; sedes est in cerebro.

Vtra opinio siue δόξα est vera?

Etsi

Etsi Galenus probabiliter in cerebro rationalem animam collocat : tamen facit autoritas scripturæ cœlestis, vt credamus cor esse sedem animæ : quippe quæ affirmat ex corde cogitationes procedere. Marci 7. Et Paulus ait, Legem scriptam esse in corde.

Lex scripta est in anima.
Lex scripta est in corde.
Ergò in corde est anima.

Cum itaq; & intelligentia & motus animi, & vitæ ipsius efficacitas omnis tribuatur cordi : sedes animæ iure habetur. Quamuis responderi commodè potest, cordis appellatione in genere comprehendi omnia, quæ sunt mentis & voluntatis.

Quæ est sententia veteris dicti : Anima est tota in toto, & qualibet parte tota?

Resp. Sensus est : Anima vbicunq; est, ibi tota est. Ratio est: quia est essentia incorporea, quæ diuidi non potest. Inest itaq; omnibus corporis partibus tota, scilicet, vitam, facultatem & operationem cuiq; impertiens.

DE ORIGINE ANIMÆ in hominis propagatione.

PRopagatio est cum per generationem homo viuus nascitur ex homine viuo. Vocant etiam oriri ex traduce : & quæstio est peruetus : Ex traducene oriatur anima, an verò de nouo creetur, ac infundatur homini in generatione? Sed responsio videtur optima & expedita hæc :

Non nouas creari animas, sed per generationem propagari ex parentibus in sobolem.

Ratio prima est :

Homo generat hominem.
Homo constat ex anima & corpore.
Ergò anima & corpus generatur siue propagatur ex homine in hominem.

Secunda :

Adam genuit in similitudine sua, & iuxta imaginem suam, id est, qualis erat Adam, talis erat eius soboles.
Adam habuit animam & corpus.
Ergo anima & corpus propagantur. Alioqui certe similitudo & imago Adami non esset integra in sobole.

Tertia ratio:

Peccatum est in anima.
Peccatum propagatur.
Ergò etiam anima propagatur.

Rx. plus e in conclus. q in præmiss. aut error ti 4 vermimini

Galenus in libro de fœtuum formatione, Apparet animam corpus formantem ex parentibus in ipsum fœtum transfundi, seu contentam in semine, quæ vt forma interna sit formatrix ipsius fœtus, sicut & augmentationis.

OBIECTIO.

Deuteronomij 12. dicitur: Sanguis est ipsa anima.
Sanguis est corpus corruptioni obnoxium.
Ergò anima quoq; est corpus corruptioni obnoxium.

Resp. Nego consequentiam, quia in voce animæ est ὁμωνυμία: quippe quæ hebraica consuetudine vitam significat. Est itaq; sententia dicti Mosaici: Sanguis est vehiculum vitæ, & quasi subiectum vitæ ac pabulum vitalis spiritus.

Ebnezra

Ebenezra sic interpretatur: Anima per sanguinem, motum & sensum corpori suppeditat.

ALIA:

Res corporea non gignit ex sese incorpoream.
Semen est res corporea.
Ergò semen non gignit ex se essentiam incorpoream, qualis est anima.

Respondeo ad maiorem per distinctionem: Res corporea non gignit incorpoream, scilicet, absque mandato Dei peculiari. Deinde ad minorem: Homo habet peculiare mandatum Dei, vt per seminis propagationem crescat & multiplicetur. Gen. 2. Quod certè fieri minimè potest absq; propagatione animæ & corporis ex homine in hominem, per generationem. Ergò quòd res corporea siue semen per se minus potest, Id per expressum Dei mandatum siue benedictionem efficitur.

Potest etiam ex Aristotele probari, animam rationalem propagari ex traduce, vel per semen?

Resp. Potest. Quia disertè inquit: Homo generat hominem, & Sol. Iam si homo hominem generat, satis constat, ex homine in hominem propagari vtrunq;, animam & corpus, ex quibus homo componitur.

Homo generat hominem.
Homo constat anima & corpore.
Ergò anima & corpus generatur siue propagatur ex homine in hominem.

Sed Aristoteles tamen ipse negat animam rationalem ex natura seminis propagari, cum lib. 2. de animalium generatione, cap. 3. ait:

Sola anima rationalis foris accedit, & diuina est. λείπεται τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον.

DE POTENTIIS SEV *facultatibus animæ.*

APud Xenophontem libro 8. de Cyri disciplina, quidam Araspas nomine duas sibi inesse animas ait, vnam bonam, bonorum scilicet & honestorum operum effectricem, alteram verò malam, turpium operum architectatricem.

Verùm non dicitur hoc loco de substantia animæ, sed de naturis seu viribus eius diuersis & discrepantibus, quarum altera, sc. λογιστικὴ ad bonum, altera sc. ὀρεκτικὴ ad malum, id est, ad cupiditates & libidinem ducit.

Plato in Timæo disertè ait, animam vnam tantum esse, sed tres facultates siue ἐνεργείας. Vna reliquarum domina & regina sc. mens νοῦς seu ratio λόγος, vocatur λογιστικὴ rationalis, soli homini propria, immortalis & diuina, quæ in capite tanquam in arce sedem habet, vt supremam autoritatem in inferiores animi partes obtineat: & vt suprema inferiores potentias includit & gubernat.

Secunda irascibilis, ὀργιστικὴ, ἄλογος siue irrationalis in corde domicilium habet, loco rationi proximo, vt appetitum ad rationis imperium adigat.

Tertia

Tertia appetitoria, ὀρεκτικὴ, in iecore, itidem ἄλογος, libidines & cupiditates in se continet.

Ac cùm hæ inferiores vires animæ illi supremæ rationi obediunt, existit suauis quædam harmonia, id est, consensio virium. Cum verò rationem vel præcurrunt, vel deserunt, tristis ἀπαξία oritur.

Ad hanc distinctionem facultatum animæ tres ætates mundi accommodantur, vt est apud Suidam: I. Aetas mundi fuit ἡγεμονικὴ, rationalis, sapientiæ, iusticiæ, & artium studiosa, nempe ab Adamo vsque ad Cyrum. II. θυμοειδὴς animosa, à Cyro vsq; ad Theodosium, bellis potissimum lætata est. III. ἐπιθυμητικὴ appetens, à Theodosio vsq; ad finem mundi, veneri & gulæ dedita, voluptates & libidines quærit.

Ita & Medici Platonem secuti, principem animæ, siue animalem facultatem collocarunt in cerebro, vitalem in corde, naturalem in Epate. Aristoteles verò à præceptore, ex imperitia Anatomes, discedens, opinatur partem principem in corpore, à qua & sentiendi facultates, & reliquæ omnes emanant, esse in corde, quippe qui neruorum principium etiam ad cor transfert, cap. 5. lib. 3. de historia animalium.

Aristoteles in secundo de Anima, capite tertio quinque recensetauimæ potentias siue δυνάμεις, θρεπτικὴν vegetatiuam, αἰσθητικὴν sentientem, ὀρεκτικὴν appetitiuam, κινητικὴν κατὰ τόπον locomotiuam, διανοητικὴν rationalem.

Suntq; hæ quinque potentiæ omnes in homine, in brutis tantum quatuor.

DE POTENTIA vegetatiua:

Vegetatiua potentia est, quæ corpus nutrit, auget, & gignit. Continet itaq; facultates quatuor, nutritiuam, auctricem, generatricem & formatricem. Talem animam habent omnes plantæ, siue res terra & aqua nascentes.

Quid est nutritio?

Nutritio est conuersio nutrimenti in substantiam animati, facta vi caloris, vt instauratio fiat in eo, quod absumi cœperat. Est definitio causalis, quia causas omnes exponit, quæ in nutritione concurrunt.

Causa efficiens nutritionis est calor natiuus, seu naturalis.

Materia ex qua est cibus & potus, vel nutrimentum ipsum.

Materia in qua, vel subiectum est corpus animatum, vt homo, animal, planta.

Formalis causa est ipsa assimilatio siue conuersio cibi & potionis in similitudinem cuiusq; membri nutriendi. Nam alia pars vertitur in substantiam ossis, alia in substantiam carnis.

FINIS est instauratio eius, quod absumi cœperat. Cum enim calor natiuus semper aliquid absumat & depascat: per nutritionem fieri necesse est instaurationem, perinde vt in lychno absumto oleo, alium liquorem affundi oportet. Est ergò finalis causa, conseruatio individui, id est, hominis vel animalis.

Organa

Organa nutritionis sunt os accipiens & masticans nutrimentum : Oesophagus transuehens : Ventriculus transmutans in chylum, id est, massam sanguinariam, cui admixti sunt reliqui humores : Venæ deferentes sanguinem ad singula membra, in quibus fit assimilatio & applicatio nutrimenti.

DE FACVLTATIBVS *siue potentijs in singulis membris:*

Communes potentiæ seu facultates, quæ omnibus & singulis membris insunt, quatuor numerãtur: Attractrix, retentrix, alteratrix seu concoctrix, & expultrix, ἑλκτικὴ, κρατικὴ, ἀλλοιωτικὴ, ἐκκριτικὴ. Vnumquodq; enim membrum habet vim attrahendi, retinendi, alterandi & expellendi. Verbi caussa: Ventriculus primùm attrahit cibum, secundò retinet. Tertiò alterat, id est, mutat in chylum, quartó expellit.

Quid est fames?

Fames est sensus suctionis, siue appetentia cibi, cum venæ in penuria nutrimenti ex ventriculo trahunt, veluti mulgentes sugentesq;. Ventriculus est communis culina totius corporis.

Sitis est appetitio humectationis & refrigerationis in arefactione & æstu. Organum famis & sitis est orificium ventriculi, vtpote, in quo sentitur talis irritatio.

Quomodo fit Nutritio?

Ventriculus coquit cibum & vertit in chylum. Chylus per πυλωρὸν emittitur in inteſtinum duodenum & ieiunum. Inde rapiunt venæ Meſaraicæ maſſam puriorem & liquidiorem, tranſmittuntque ad epar. Lutulentum verò delabitur ad inteſtina inferiora. Porrò epar vertit chylum in maſſam ſanguineam, quæ ex quatuor humoribus conſtat, ſanguine, bile, phlegmate, & Melancholia. Ac ſanguis quidem ex epate per venas tranſmittitur, partim ſurſum, partim in dextrum cordis thalamum, ad nutriendum cor, & pulmonem, ac ad generandos ſpiritus vitales. Partim deorſum ad alendum inferiora membra. Reliqui verò humores, qui ſeparantur à maſſa ſanguinis, partim in folliculum fellis defluunt, vt rubra bilis: partim in ſplenem, vt atra bilis: aquoſa verò ſuperfluitas ad renes & veſicam labitur, & fit vrina, vel etiam per ſudorem excernitur. Hæc ſunt excrementa ſecundæ concoctionis, quæ fit in epate & venis.

Tertia deniq; concoctio fit in ipſis partibus, quæ & ipſa habet ſua excrementa, quæ partim per tranſpirationem inſenſibilem cutis, atq; ſudorem, partim cum vrina & fecibus exeunt. Sanguis autem nutrit membra per appoſitionem & adſimilationem, cum videlicet membris adhæreſcit, adglutinatur aut coaleſcit, & tandē poſt plurimas immutationes parti adſimilatur & quaſi in ſubſtantiam eius tranſit ſiue conuertitur. Vocaturq; tunc ſecunda humiditas, Arabicè Cambium.

Hinc digeſtiones ſiue concoctiones numerantur tres, prima fit in ventriculo & inteſtinis, ſecunda in epate & venis, tertia in ſingulis membris. Et regula eſt: Vitium prioris concoctionis non poteſt corrigi per ſequentes.

DE

DE SEX REBVS non naturalibus, seu caussis salubribus.

Sex sunt res ad nutritionem & vitæ sustentationem necessariæ:

I. Aer.
II. Cibus & potus.
III. Somnus & vigilia.
IIII. Motus & quies.
V. Euacuatio vel expulsio.
VI. Affectus animi.

Vocantur autem res non naturales, quod non sint partes natiuæ siue internæ hominis, sed foris accedant, tanquam materia & adiumenta ad alendum & tuendum corpus necessaria. Non naturales, id est, quæ non nascuntur nobiscum.

I. DE AERE.

I. Aer non solum corpora nostra ambit, & quocunque imus, quocunque mouemur, quasi locum nobis dat & cedit: sed à nobis etiam hauritur siue attrahitur, vt vitalem & salutarem spiritum præbeat, ipsumq; spiritum non tantum reficiat, sed etiam nutriat.

II. Aer siue cœlum crassum efficit corpora pinguia & valentiora, ingenia verò hebetiora. Quales fuisse Thebanos scribit Cicero. Cœlum verò tenue, quale Athenis fuit, gignit homines acutiores.

III. Magni igitur refert aerem siue cœlum, quo vtimur, esse purum, tenue non turbidum aut nebulosum.

Hippocrates de flatibus: Aer mortalibus vitæ, & morborum ægrotis solus est autor. Galenus in

arte medicinali: Ab aëre afficitur (mutatur) corpus, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur.

II. DE CIBO ET POTV:

Cibo & potu corpus refici & nutriri oportet, ſicut lychnum oleo aut cera. Sed hic duæ regulæ teneantur:

I. Vt conueniente & conſueto tempore cibus & potus ſumatur. Nam vbi diutius differtur, impletur ventriculus vacuus prauis humoribus, vt bile ſanioſa, pituitoſa & ſeroſa. Suam enim actionem naturalem non ſuſpendit aut intermittit ventriculus, quare vbi cibo deſtituitur, egeſta reuocat.

II. Cibi & potionis tantum eſt ſumendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Cicero in Catone maiore. Nam cibi & potionis nimia copia menti & corpori obeſt. Id quod Cicero probat quinta Thuſculana: Quid? quòd ne mente quidem recte vti poſſumus multo cibo & potione impleti. Quamobrem ad animæ & corporis cultum plurimum conducit temperantia, vtpote, quæ & ſapientiæ & valetudinis, & multarum virtutum mater, & dulcis nutricula eſt.

Hippocrates: Indigentia ſanitatis mater eſt, & labores atque exercitia bonam valetudinem conſeruant.

Siracides, cap. 37. Copia cibi gignit morbos, & helluo replet corpus vitioſis humoribus.

Plato, lib. 2. de legibus vini vſu interdixit pueris vſque ad annum ætatis decimum octauum, rationemq; addidit: ἀ χρὴ, inquiens, πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν, id eſt, non decet ignem igni adijcere.

Nat

Noti sint familiariter Eobani versus:

Immodici sensus perturbat copia bacchi:
Inde quis enumeret quot mala proueniant?
Corporis exhaurit succos, animiq; vigorem
Opprimit, ingenium strangulat atq; necat.

III. DE SOMNO ET VIGILIA.

Somnus & vigilia sunt ἀντιπέμφατα, hoc est, contrariæ affectiones vnius subiecti, id est, cerebri. Qui vigilat non dormit, qui dormit, non vigilat. Subiecti, id est domicilij.

Aristoteles sic definit de somno & vigilia: Ὕπνός ἐστιν ἀνάπαυσις πρώτου αἰσθητικοῦ. Somnus est quies primi sensorij. In hac definitione genus est quies: quia in somno verè quiescit anima. Primum sensorium est differentia, discernens somnum à cæteris quietibus. Estq; primum sensorium nihil aliud quàm facultas animalis in cerebro, non in corde, vt errore quodam opinionis scripsit Aristoteles. Nam ex cerebro tanquam ex fonte seu principio primo sensus omnes procedunt. Cum itaq; in somno sensuum actiones cesserent, vt neque auris audiat, neque oculos videat, rectè somnus primi sensorij quies appellatur.

Dominus Philippus tradit pleniorem definitionem somni ex caussis contextam: Somnus est quies virtutis animalis, quæ fit, cum vapores vtiles ex nutrimento exhalant in cerebrum, vbi suauiter liquescunt, & passim fluentes in cerebro obstruunt meatus sensuum & neruorum motiuorum.

Efficiens caussa est calor, qui, vt Hippocrates ait, in somno intro magis fugit, vt coctionem adiuuet. Vnde fit vt externa membra in somno facilius frigeant, & tegumentis pluribus indigeant.

Mate-

Materialis cauſſa eſt vapor ſuauis exhalans ex nutrimento in cerebrum, & obſtruens meatus ſenſuum ac ſpirituum, vt moueri membra deſinant.

Formalis eſt ipſa quies ſenſuum exteriorum, viſus, auditus. Item motus localis: vt neq; manus, neque pes amplius moueatur, aut officium faciat.

Finales cauſſæ ſunt: Prima rigatio & recreatio cerebri atq; cordis. Virgilius: Feſſos ſopor irrigat artus.

Secunda vt actio ventriculi & epatis in concoctione cibi ſit valentior, reuocato ſc. intrò calore, & ſpiritibus. Nam ideò quieſcit in ſomno facultas animalis, vt validius agat naturalis.

Tertia, vt ſit imago mortis, quemadmodum in verſu Ouidij dicitur: *Stulte quid eſt ſomnus gelida niſi mortis imago.* Galenus dicit: Somnus eſt frater mortis. Nam vt in ſomno corpus quidem quieſcit, anima verò vigilat: ſic quoque in morte corpus quieſcit, ſed animus vel anima viget.

— gracili cibus eſt in corpore ſomnus. Ouid. lib. 1. de Ponto.

Quarta, Ouidius ſomnum vocat cibum in gracili corpore.

Quomodo ſomnus eſt cibus?

Eſt Metaphora. Nam ſomnus eſt ſimilis cibo, rigans, reficiens & alens corpus perinde vt cibus.

Quamdiu eſt dormiendum?

Tantiſper donec abſoluatur ciborum concoctio: quod fit in alijs, præſertim valentioribus, ſeptem, in alijs infirmioribus, octo horis vtplurimum. Diurnus autem ſomnus iccircò noxius eſt, quia cerebrum opplet humiditatibus, quas diurnis potius vigilijs exiccare & abſumere oportebat.

Quando

Quando est cubitum eundum aut indormiendum?

Plato in Tim. ait: Quando mundus claudit suum oculũ, nos quoq; debemus claudere nostros oculos. Iam mundi oculus est Sol: Ergo post solis occasum non diu est somnus differendus. Neq; tamen statim post sumtum cibum prodest somnus. Nam vt Galenus ait, lib. 4. Aphorismorum, commentario 67. *A cibis ad somnum conuersis caput impletur.* Hoc est, grauatur, & hebescit sensus.

Dominus Philippus dixit: Nulla res mihi magis profuit ad conseruationem valetudinis, quàm hæc vnica, quod nihil legi post cœnam, nihil scripsi, nec longo interuallo à cœna cubitum iui. Ita manè potui surgere, & expedire mea negocia sine molestia magna.

Stomacho valentes, hoc est, qui valentem ventriculum habent, mox à somni initio in latus dextrum decumbere debent. Qui verò ventriculi facultatem concoctricem infirmam habent, prius in sinistro, postea in dextro latere cubitent, Nam decubitus in latus sinistrum magis adiuuat concoctionem: super dextrum verò latus decubitus magis ad distributionem cibi prodest.

IIII. MOTVS ET QVIES.

Motus hoc loco est exercitatio corporis: quies verò ocium. Plutar. eruditè partitur vitam totam in πονον καὶ ἄνεσιν, studium & remissionem, hoc est, in laborem professioni cuiusq; proprium & conuenientem, & ocium siue quietem.

Est autem vterq; motus & quies vtriq;, animæ & corpori apprimè necessarius.

De cor-

De corporis quidem motu familiariter noti sint Ouidij versus. 1. de Ponto:

Cernis vt ignauum corrumpant ocia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur, aqua.

In his similitudo est corporis & aquæ. Vt enim aqua putrescit absq; motu: sic quoq; corpus corrumpitur, nisi exerceatur.

De animo vero siue ingenio. V. Tristium. Elegia 12. ait.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multò, quàm fuit antè, minus.

Vbi longam rubiginem vocat ocium ignauum & iners quo ingenij vis omnis perit, vel certè languescit & diminuitur. Quemadmodum è contrario industria & labore excitatur & acuitur. Longa rubigine, id est, ocio inerti, ignauo.

Sunt igitur vsus siue commoda motus vel exercitationis & laboris tria:

I. Roborat corpus.
II. Excitat & auget calorem insitum.
III. Spiritus, sensusq; vegetiores & acriores reddit.

De tempore autem exercitationum Aphorismus extat Hippocratis lib. 6. Epidemiorum, sectione quarta, aphorismo vltimo: πόνοι σιτίων ἡγεέσθωσαν, labores antecedant cibos. Labores vocat corporis motum siue exercitia. Ergò ante cibum, non post, corpus est exercendum. Nam post cibum quies vel certe leuior contentio est suscipienda: ne calor intus coquens cibum dissipetur: quod in motu vehementiori fieri necesse est.

De quiete teneantur Ouidij versus:

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaq; membra leuat.

Et 1. de Ponto:

Ocia

Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,
Immodicus contrà carpit vtrumq; labor.

Vbi per ocia intelligit quietem corpori & animo conuenientem & debitam : siue relaxationem & recreationem liberalem & mediocrem. Nemo enim est tantis viribus, vt perpetuas contentiones, vigilias, curas & labores ferre possit. Sed exiccatur & fatigatur tandem corpus & animus, nisi remissione vtamur.

De modo vtendi ocio & recreatione sic Cicero ait, lib. 1. Offic. Ludo & ioco vti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum, cum grauibus serijsq; rebus satisfecerimus.

Confecto labore dulce est quiescere, Nach gethaner arbeit ist gut ruhen.

V. RES NON NATVralis euacuatio siue expulsio & retentio.

Vt penuria, sic etiam redundantia seu superfluitas corpori noxia est. Itaq; iusto conuenientiq; tempore excrementa omnia euacuare oportet. Inprimis aluus est exoneranda quotidie, eiecto stercore siue excremento.

Secundò reddenda est vrina tempestiuè, non nimis sæpè, neq; nimis rarò. Tertiò prouocandus est interdum sudor contentione, vel labore, vel apertis poris cutis, vt exhalent fumi. Quarto singulis diebus tempore matutino frigida abluantur, lingua, oculi, manus, totaq; adeò facies, & pectatur caput. Frigida sc. aqua. Oculi sunt frigidi. Ergò lætatur aqua frigida. Quintò vsurpetur balneum, sed non

non nisi post confectum magna ex parte cibum in ventriculo, duabus fermè aut vna hora ante cœnam. Post egressionem verò, cum corpus totum, tum verò inprimis caput desiccandum est, & à frigore custodiendum: ne frigidus aer hiantes cutis poros penetrans, detrimenti aliquid afferat.

Vtilitates balnei sunt multæ:

1. Calefacit & humectat corpus.
2. Conciliat somnum.
3. Discutit flatus.
4. Roborat ventriculum imbecillem.
5. Adiuuat concoctionem alimenti.
6. Medetur lassitudini.
7. Mitigat dolorem pectoris & dorsi.
8. Mollit articulos.
9. Lenit capitis grauitatem ex biliosis humoribus ortam.

Præter cæteros verò prodest balneum studiosis literarum. Iccircò quia discutit flatus, fuligines, & mordacia excrementa, quæ molesta esse studiosis solent.

Sexto, singulis hebdomadis semel lauetur caput lixiuio acerrimo. Hoc enim conducit ad detergendum & exiccandum & roborandum caput. Mox tamen à lotione exiccetur linteo tepido.

Septimo adhibeatur pedum lotio, quæ non tantum sordes pedum abluit, sed caput ipsum quoque alleuat. Nam tanta est cognatio capitis & pedum, vt alterum alterius morbo seu malo afficiatur. Pedes sunt lauandi & purgandi propter caput, quia est cognatio mutua inter caput & pedes.

VII

VII. RES NON NAturalis affectus animi, πάθημα.

Affectus sunt animi motus, quibus vel perturbatur vel exhilaratur. Nam tristicia, mœror, dolor, metus sunt carnifices seu tortores animi & corporis. Contrà lætitia, spes, bona conscientia, sunt dulces nutriculæ vitæ, & sanitatis, vt in 1. de Repub, Platonis dicitur.

Itaq; magni interest ad sanitatem animi & corporis hisce affectibus moderari posse, vtpote qui naturam vel conseruant vel destruunt.

DE POTENTIA AVCTRICE.

Potentia auctrix vel augmentatio est, qua corpus secundum omnes dimensiones, longitudinem, latitudinē & spissitudinem accrescit, wachsung des Leibes in die gröſſe lenge vnd dicke.

REGVLA.

Nutritiua conseruat indiuiduum. Augmentatiua prouehit ad iustam magnitudinem, Generatio conseruat speciem.

Quandiu accrescit siue augetur homo?

Vsq; ad ἀκμὴν, hoc est, vigorem, circiter annum ætatis vigesimum quintum. Etsi enim postea maius fit in aliquibus corpus: tamen ea est pinguefactio, non augmentatio.

DE ÆTATVM NV-MERO ET TEMPERAMENTIS.

Prima ætas vocatur infantia, scilicet à primo tempore ortus seu natiuitatis vsq; ad tertium quartumue annum.

Secunda pueritia, quæ durat ad 14. annum, estq; calida & humida.

III. Pubertas ἥβη, nempe à 14. vsq; ad 18. annum.

IIII. Adolescentia, quæ incipit à 18. & desinit in 25. Qui in hac ætate sunt ἔφηβοι Græcis dicuntur. Estq; hæc ætas medij & optimi temperamenti.

V. Iuuentus vel iuuenta νεότης, eorum est qui ex ephebis excesserunt, & ἀκμὴν, hoc est, vigorem consecuti sunt. Vnde & florens ætas nominatur. Est calida & sicca ab anno 25. ad annum 35.

VI. Virilis ἀνδρία, constans & media Ciceroni, καὶ μεσήλιξ etiam à 35. anno vsque ad 49. Frigida & sicca.

VII. Senectus, γῆρας, à voce γέρας, qua honos significatur. Estq; triplex. Prima est eorum, qui ὠμογέροντες appellantur, id est, viridi senecta præditi, idonei scilicet adhuc ad gerendam Rempub. ab anno 50. vsq; ad 60.

Secunda incipit ab anno 60. & protenditur ad 70.

Tertia est decrepita, frigida & sicca prorsus, marcescenti stirpi similis, videlicet ab anno 70. vsq; ad finem vitæ.

Ptolomæus li. 4. iudiciorum accommodat ætates ad Planetas, hoc modo. Luna

Luna gubernat infantiam quatuor annis propter humiditatem.

Sequentibus decem annis regnat Mercurius, ingenij magister, & morum formator.

Octo sequentes annos sibi vendicat Venus, ingenerans blandimenta cupiditatum & libidinum.

Post Venerem decem & nouem annis dominatur Sol, sapientiæ, grauitatisq; autor.

Post Solem Mars annis 15. curam laborum & contentionum inserit.

Martem excipit Iupiter consiliorum & prudentiæ parens atq; moderator, annis 12.

Et sic complentur anni 68.

Quod reliquum est ætatis, Saturnus conficit, inertia, morositate, & molestia.

DE POTENTIA GENERATRICE ET FORMATRICE.

Medici adiungunt Generationi Formationem. Nisi enim ad Generationem accedat Formatio: massa concepta in vtero fit mola, hoc est, rudis & informis, aut ἔκτρωμα, id est, quiddam abortiuum.

Est autem Generatio nihil aliud, quàm propagatio hominis ex homine, quæ est opus verè admirandum & diuinitus ad hominem translatum, vel certè communicatum cum homine, vt possit ex se procreare hominem viuum, intelligentem, & per omnia sibi ipsi similem.

Causſa efficiens Generationis prima eſt Deus formans, fouens, & perficiens maſſam in vtero: vt tandem homo viuus emergat, atq; in lucem ſuſcipiatur. Pſalm. 137. Tu formaſti in vtero matris anteriora membra & poſteriora. Secundaria cauſa eſt, & quidem propinqua, pater & mater, vt Ariſtoteles ait: Homo hominem generat & Sol, id eſt, parentes & cauſæ cœleſtes concurrunt in generatione hominis.

Materialis cauſſa eſt ſemen viri & mulieris. Ex quo fit, vt ſimilitudo etiam aliqua ſit plerunq; parentum & liberorum. Nam vt animi, ſic etiam corporis quædam ſimilitudo infirmitasq; in ſobolem propagari ſolent.

Eſt autem res admiratione digna, quod Deus ex paruula guttula ſanguinis, vt ita dicam, tot, tamq; varias partes ſiue membra hominis fingat ac formet.

Formalis cauſa eſt ipſa effigies, & viua expreſſaq; compages, figura & conformatio hominis, animo & corpore conſtans.

Verſiculi de ordine ſeu tempore formationis fœtus.

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini:
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Nam primis ſex diebus à conceptione ſemen bulliens atq; eſtuans oui ſpeciem refert, in qua quędam ampullæ exiſtunt, epatis, cordis & cerebri. Et adhuc vocatur γονη, id eſt, ſemen.

Sequentibus nouem diebus, videlicet à ſexto vſq; ad decimumquintum ſanguis paulatim influit, & ſemini permixtus efficit maſſam, quæ appellatur κύημα, id eſt, conceptio. Proxi-

Proximis duodecim diebus, hoc est, à decimo sexto ad vicesimum septimum principalia membra conformari incipiunt atque distingui: & vocatur ἔμβρυον, id est, nuper formatus fœtus.

Tandem octodecim diebus sequentibus ad quadragesimum quintum singulæ partes formantur, & tunc fœtus dicitur infans, seu παιδίον, viuereque incipit.

Alitur autem infans, quamdiu in aluo inclusus gestatur, ex purissimo sanguine menstruo matris, qui ex cotylidonibus per vmbilicum affluit.

Cæterum aliæ partes ex sanguine, aliæ ex semine generantur: venæ, arteriæ, & membranæ nascuntur ex semine, reliquæ ex sanguine.

Circundatur autem fœtus tribus inuolucris siue membranis: primum vocatur χόριον, latinè secunda vel secundina.

Secundum ἀλλαντοειδές, farciminosum, à figura scilicet farciminis.

Tertium ἄμνιον, agninum, propter teneritatem scilicet, quod molle sit, vt agnus.

DE TEMPORE MOTVS.

DIes à conceptione duplicati constituunt diem motus. Vt igitur diebus quadraginta quinque formatur fœtus: sic post bis quadraginta quinque, hoc est, nonaginta dies, seu menses tres moueri incipit.

Postea triplicati dies motus adferunt tempus partus, nempe post menses nouem.

Nam nono menſe plerunq; eduntur mares, fœmellæ fermè decimo.

Qui citius naſcuntur, præſertim ſexto & octauo menſe, non viuunt. Septimo verò editi, viuere poſſunt, quia ſeptimus menſis à conceptione eſt criticus (id eſt, iudicatorius) quo fœtus mouetur ad exitum ſiue partum.

DE PARTV.

I. Locus Lunæ in partu congruit cum loco in conceptione, hoc eſt, in quo ſigno eſt Luna tempore partus, in eodem etiam Luna fuit tempore conceptionis. Ergò ſi naſcitur infans, vel in lucem ſuſcipitur in coniunctione Solis & Lunæ, hoc eſt, in nouilunio: conceptio etiam in nouilunio facta eſt.

Ac regulare eſt editos infantes in coniunctione Solis & Lunæ non eſſe viuaces.

Ratio non obſcura eſt, quia hoc tempore fluit ſanguis impurus ſeu menſtruus.

Ergo qui tempore tali concipiuntur, imbecilliores ſunt natura & minus durabiles.

II. In ipſo partu infans mirabiliter ex ſummis anguſtijs educitur, ruptis panniculis, patefactisq; & quaſi laxatis femorum nexibus, cum ingenti dolore parientis.

III. Editus iam infans plorat, quaſi præſagiens vitæ mortalis calamitates. Sapientiæ 7. Fletus fuit mea vox prima, ſicut & aliorum.

Verſus.

Flens ego ſum genitus, celebrantur funera fletu,
Tranſacta innumeris vita fuit lacrymis,
O genus humanum lacrymabile, triſte, caducum.
Quod factum ex cinere eſt, ſoluitur in cinerem.

Finalis

Finalis causſa generationis est conseruatio & propagatio generis humani, à quo coli vult Deus.

Plato 6. de legibus inquit: Oportet eam ob causam liberos propagare & post se relinquere, vt singuli Deo alios ministros siue cultores suo loco substituant.

DE POTENTIA SENTIENTE.

Potentia sentiens est facultas percipiens singularia siue obiecta. Vt, visio est facultas percipiendi colores. Est igitur color singulare, vel obiectum visus. Quicquid autem cernitur, id est singulare, hoc est, aliquid per se, distinctum ab alijs. Estq; obiectum visus, id est, incurrit in oculos.

Quot sunt sensus?

Quinq; sunt sensus exteriores: Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus. De interioribus vero infra in potentia intellectiua dicetur.

Vsus exteriorum sensuum duo sunt. Primùm sunt nuncij & interpretes mentis, i. e., mens vtitur sensibus exterioribus, tanquam famulis seu ministris, per quos explorat & cognoscit res singulas. Quod enim oculus videt, id annunciat menti: quod auris audit, id tanq; nuncius perfert ad mentem.

Secundò sunt testes experientiæ: Qui enim cupit experiri, vtrum aqua calida sit, an frigida, per tactum explorat. Quod vidimus, quod conspeximus, quod auribus percepimus, id verum esse testamur. Vt cum dicimus: Hisce oculis meis vidi, vel, testes sunt hi oculi mei.

Quæ sunt obiecta sensuum?

Obiecta sensuum communia, hoc est, quæ ad omnes sensus pariter pertinent sunt quinque, magnitudo, figura, numerus, motus & quies.

Quare magnitudo vocatur obiectum commune?

Quia communiter percipitur à visu, auditu, tactu, &c. Nam quanta res quæq; sit, non tam visu iudicamus, quàm auditu etiam & tactu deprehendimus. Motus quoq; est obiectum commune, quia non solùm videmus, sed audimus etiam, & tactu cognoscimus, vtrum res moueatur, an verò consistat.

DEINDE propria sunt singulorum sensuum obiecta.

Vt visus obiectum proprium est color. Gustus obiectum est sapor. Tactus obiectum proprium sunt quatuor primæ qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & ex his ortæ, durum, molle &c. Auditus obiectum proprium est sonus. Olfactus obiectum proprium est odor.

Quid est visus?

Visus est facultas percipiendi colores, per medium perspicuum, seu Διαφανὲς, durchsichtig. Liber quem vides, habet colorem, est albus, vel viridis, vel giluus, hunc librum vides per medium perspicuum, id est, vt aer lucidus interponatur inter oculum & librum.

Quod est obiectum proprium visus?

Lux & color. Quia sine luce nihil potest cognosci & discerni. Color verò omnibus rebus inest, quas cernimus, & quicquid intuemur, id colorem habet.

Quod

Quod est organum visus?

Principale instrumentum visus est humor crystallinus in oculo pellucidus, reliquisq; humoribus circumfusus, cui spiritum optici nerui adferunt tanquam flammam.

Quomodo fit visio?

Hic fateamur necesse est, tantam esse caliginem mentium nostrarum, vt modum, quo res omnes & singulas cernimus, ignoremus. Sunt enim discrepantes de visu doctorum opiniones.

PLATO, & cum eo Mathematici censent visum fieri ἐκπεμπῇ, hoc est, per emissionem radiorum ab oculis πρὸς τὸ ὁρατὸν, ad rem visibilem. Vt cum librum intueris, exeunt ab oculis tuis quasi quidam radij ad librum siue literas in libro scriptas. Ita secundum Platonem visio nihil aliud est, quàm obiecti apprehensio per radios ab oculo prodeuntes.

Aristoteles verò contra existimauit visionem fieri εἰσδοχῇ τῶν εἰδώλων per receptionem siue incursionem specierum, vel rerum visibilium. Vt cum aspicis aliquid, exit ab eo quasi quædam species ad oculos, quam cum oculi recipiunt, visio formatur. Plato putat visionem fieri extra oculum. Aristoteles verò intra oculum.

Vtra harum opinionum est verior?

Aristotelis. Ratio ab experientia sumitur. Cum enim diu aliquid intuemur, concipimus & comprehendimus illius rei velut notam siue imaginem in

oculis, & mente ex quo satis apparet receptione rei visibilis visum fieri. Cum nota rei visæ oculo inprimatur, verisimile est in oculo formari visum, vel intra oculum recipi rem visibilem.

II. Ratio ab effectu : Lumen excellens, vel aspectio cuiuscunq; rei diuturna & accurata, nonnihil lædit vel hebetat visum. Quod autem læditur, vel hebetatur, id suscipit alterius in se actionem, id est, patitur ab eo. Ergò suscipiendo vel recipiendo rerum formas, fit visio. Dum oculus recipit radios sparsos à lumine, afficitur, hoc est, mouetur vel hebetatur visus, si excellens sit lumen. Ergò oculus recipiendo radios à lumine sparsos videt. Omne excellens sensibile lædit suum sensum.

III. Ratio. *Omnium sensuum actiones fiunt in organis, non extra organa.*
Visio est actio sensus.
Ergo visio fit in oculo, non extra oculum.

Quare Platonis opinio minus est probanda quàm Aristotelis?

Quia si radij ex oculis emitterentur vsque ad rem visibilem, extra oculum fieret visio, quod absurdum videtur. Tum nimis etiam longe procurrerent radij ex oculis ad res procul distantes. Vt impossibile videatur, ex oculo in corpus solare vel aliam stellam radios tam celeriter peruadere posse.

Sed quod in hac puerili schola perueſtigare minus possumus, id in cœlesti Academia penitus perspiciemus.

Si quis ex me quærat, planè dico inesse oculis vim occultam seu naturalem potentiam apprehendendi res obiectas seu visibiles, aliud quod respondeam, non reperio.

Quid

Quid est Auditus.

Est facultas sonos percipiens, eorumq; discrimina dijudicans.

Quid est sonus?

Sonus est qualitas orta ex aëris fractione, quæ fit collisis duobus duris corporibus latitudinem aliquam habentibus.

Quomodo frangitur aër?

Quicquid enunciatur, id aerem penetrat seu frangit, & sonum edit, qui vel clamor, vel sermo, vel oratio nominatur. Nos in aere stamus tanquam in aqua, sed aqua est crassior, aer est subtilis. Cum igitur ex ore spiritus in aerem emittitur, vox seu sonus auditur: quia fit collisio emissi spiritus & aeris. Vel cum aerem attrahimus, fit collisio spiritus & aeris in trachæa arteria. Deinde vt cum lapis lapide teritur ex collisione resultat sonus seu fragor aliquis. Vel cum penna terit siue tangit neruum in instrumento musico, cietur sonus.

Quod est instrumentum auditus?

1. Neruus membranæ modo dilatatus, id est, expansus.
2. Duo ossicula, quorum vnum incudi, alterum malleolo assimilatur.
3. Aer quidam prætenuis, ingenitus auribus, & auditorij nerui extremum pertingens.

Quomodo fit?

Sonus ingrediens in aures impellit malleum, vt feriat incudē: excitanturq; simul spiritus in neruis, & sic

& sic sonus percipitur. Oportet autem interuenire medium, nempè aerem. Cum sonus penetrat in aurem, mouet malleolum, vt incudem feriat.

Quid est Olfactus.

Est facultas percipiens odores, eorumq; discrimina dijudicans. Obiectum est odor. Sunt autem odorata, hoc est, quæ odorem præbent, tenuia quodammodo & calida. Vitrum non est odoratum, quia est frigidum. Zinziber est odoratum, quia est calidum.

Organum verò sunt duæ propagines à prioribus ventriculis cerebri descendentes in os ἠθμοειδὲς, quod supra nares ossi frontis inseritur, & exilibus foraminibus plenum est.

Quomodo fit Olfactus ?

Cum halitus, qui odores perferunt per foramina ossis ad hunc vsum fabrefacti penetrarunt, percipiuntur, per illas, quas diximus cerebri propagines, & in priores cerebri ventriculos transmittuntur.

Quid est gustus ?

Gustus est facultas percipiens & dijudicans sapores. Instrumentum est lingua, & in ipsa linguæ neruus gustatorius ab Anatomicis appellatus.

Tactus est facultas percipiens & dijudicans qualitates primas & secundas, hoc est, calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle.

Instrumentum tactus sunt nerui, id est, neruorum beneficio fit, vt aliquid molle vel durum, calidum vel frigidum esse sentiamus.

DE

DE POTENTIA APPETITIVA.

Appetitus, ὄρεξις, appetitio, ὁρμὴ, impetus seu vis animi, καὶ πάθος, affectus & affectio appellatur.

Sunt autem tres gradus appetitionum, Primus est appetitus naturalis, siue appetitio cibi & potus, & pertinet ad potentiam vegetatiuam in membris nutritioni seruientibus. Secundus est appetitio sensuum, vt delectatio & dolor, item lætitia, tristicia, spes, metus, odium, amor, ira, misericordia, & si qui sunt alij cordis motus.

Tertius, est appetitio voluntatis, cuius propria est actio appetere, siue persequi aut fugere obiectum, vt ait Aristoteles.

Quid est affectus?

Affectus est motus voluntatis aut cordis, sequens cognitionem, prosequens aut fugiens obiectum, quem perpetuò comitatur vel dolor, vel læticia. Cum enim obiectum suaue est, læticia existit: sin malum, dolor.

Genus in definitione est motus in voluntate aut corde. Nam cum verè aliquis lætatur, voluntas & cor simul exhilarantur.

Caussa efficiens sine qua non, est noticia. Nullus enim potest existere affectus in corde sine noticia, vt dicitur: *Ignoti nulla cupido*, id est, quod quis ignorat, hoc neq; expetit, neq; fugit, neq; amat, neque odit.

Caussa formalis est prosequi aut fugere obiectum. Nam omnis affectus, vel est διωξις, prosecutio, vel φυγὴ fuga.

Finis

Finis affectus est vel delectatio vel dolor. Cum enim res offertur iucunda & grata, sequitur delectatio, sin verò mala & ingrata, dolor.

DIVISIO AFFECTVVM.

Affectus alij iuuant, seu conseruant naturam, vt lætitia, spes, amor. Nam absq; his vita nulla esse potest. Alij verò lædunt & destruunt naturam, vt tristitia, metus, odium. Mœrore cor contabescit.

Species affectuum præcipuæ sunt, lætitia, mæstitia, spes, metus.

Lætitia est suauis motus cordis, quo cor præsens bonum complectitur, & in eo acquiescit.

Mœstitia est cruciatus cordis compressi, tanquam fugientis præsens malum.

Spes est suauis motus cordis præparantis se ad futurum bonum.

Metus est cruciatus cordis compressi, tanquam fugientis futurum malum Ex his quatuor tanquam ex fontibus manant reliqui affectus, vt odium, inuidia, misericordia.

Rectè dixerunt Stoici affectus esse opiniones?

Respondeo. Non, quia opinio est in mente, seu potentia cognoscente.

Affectus non est in mente seu potentia cognoscente.

Ergo affectus non est opinio.

Suntne omnes affectus suo genere, vel per se vitiosi secundum Stoicos?

Respondeo. Non. 1. quia lex diuina præcipit affectus, vt amorem Dei & proximi.

Quod

Quod lex diuina præcipit, non est vitiosum.
Lex præcipit affectus.
Ergo affectus non sunt vitiosi.

Vbi præcipit lex diuina affectus?

In decalogo: Diliges dominum Deum tuum.

II. *Quia στοργαὶ sunt bonæ per se, vel natura sua.*
στοργαὶ sunt affectus.
Ergò quidam affectus per se sunt boni.

III. Quia Christus ipse affectus misericordiæ, iræ, læticiæ, mœsticiæ in seſe expresit & declarauit.

Suntne omnes affectus ex natura tollendi, sicut Stoici voluerunt?

Non. *Quia bonum non est exterminandum.*
Quidam affectus sunt boni, vt στοργαὶ, misericordia, amor.
Ergò quidam affectus non sunt tollendi ex natura hominum.

Contra.

Nullum impurum est bonum.
Affectus sunt impuri in hac corrupta natura.
Ergò nullus affectus est bonus.

Resp. Nego minorem, quia est fallacia accidentis. Nam affectus non per se, aut sua natura sunt impuri, sed contaminantur per accidens, hoc est, propter ἀπαξίαν, quæ ad naturam per se bonam accesit tanquam labes.

DE POTENTIA LOCOMOTIVA.

Potentia locomotiua est, quæ quamcunq; partem corporis

corporis externam, ciente ratione aut imaginatione, ex alio loco in alium transfert. Vt cum progredimur, pes loco mouetur, hoc est, ex vno loco in alium transfertur. Cum manus mouetur, ex loco in locum transfertur. Idq; fit ciente ratione, aut imaginatione. Nam prius iudicat ratio seu mens, quò sit mouendum membrum, hoc est, quò sit eundum, aut quid debeat apprehendere manus.

Quibus organis opus est ad locomotiuam?

Tribus, neruis, musculis, & chordis. Primùm enim cerebrum ciet neruos, nerui excitant musculos, musculi vero dilatant se & contrahunt: & hoc modo externa membra mouentur de loco in locum.

Intelligi autem debet hoc loco motus voluntarius, non naturalis. Aliter enim mouetur lapis scilicet naturali motu, quo semper deorsum labitur. Item ignis, qui semper sursum tendit. Sic ventriculus naturali vi sua cibum coquit. Sed aliter mouentur membra, siue partes corporis, scilicet motu voluntario. Cum enim volumus, tunc manum mouemus, aut pedem: cum non volumus, quiescimus.

Est etiam quidam mixtus motus, partim scilicet voluntarius, partim naturalis, vt in vrina videmus, quæ naturali quidem impulsu effluit, sed non ferè, nisi cum volumus. Potest enim homo continere vrinam, etiamsi natura vrgeat ad expellendum.

Vnde regitur locomotiua?

A volun-

A voluntate, imperio sc. herili δεσποτικῷ. Vt enim herus seruo, sic voluntas imperat membris.

DE POTENTIA RATIONALI.

Potentia rationalis λογιστικὴ complectitur λόγον, id est, rationem, siue νοῦν intelligentiam & voluntatem βούλησιν, quæ sunt principes facultates animæ.

Mens enim in capite tanquam in summa arce collocata præses est, consiliarius, & dictator studiorum & actionum. Voluntas vero tanquam rex consilia mentis vel approbat & exequitur, vel improbat & reijcit. In homine pene est gubernatio aulica. In aula sunt consiliarij, qui quid faciendum sit, monent atq; suadent, & talis est mens. Deinde in aula est princeps siue rex, qui audit quidem consiliarios, sed interim tamen facit, quod lubet. Ita quoq; est voluntas.

Etsi enim harmonia siue consensio summa mentis & voluntatis esse debebat, ita vt quæ suadet mens, eadem probet voluntas: tamen propter ἀταξίαν naturæ voluntas sæpè dissidet à mente, & facit contraria. De quo horrendo dissidio quærelæ multæ sunt. Medea apud Ouidium ait:

Video meliora, proboq́;,
Deteriora sequor:

In ea enim, priusquam filijs occidendis manus inijceret, diu multumq́; ratio cum iracundia luctata est. Nouerat enim, dictabatq́; ratio, impium esse facinus, occidere liberos: & tamen nihilominus iracundia vicit rationem. Hinc Homerus Vlyssem

introducit sic disputantem, & iram reprimentem:

Pectora sed feriens ipsum cor increpat ira:
Suffer & hoc cor, nam grauiora aliquando tulisti.

Vsus doctrinæ de potentia Rationali:

1. Deducit nos ad agnitionem Dei, qui æternæ suæ sapientiæ radios in mentes nostras sparsit, vt inde infinitam & immensam eius sapientiam, bonitatem, & in nos beneuolentiam æstimemus.

2. Cognitio mentis nostræ hortatur nos ad cultum pietatis, sobrietatis, & actiones diuinæ origini, & naturæ congruentes.

3. Consideratio dissidij rationis & voluntatis admonet nos de cura regendi mores, & moderandi appetitus, ne rationem præcurrant, & extra modum prodeant.

4. Actiones mentis modum omnem atq; progressum discendi, iudicandi, & memorandi res exponunt.

Quid est intellectus siue potentia cognoscens?

Est facultas cognoscendi, recordandi, iudicandi & ratiocinandi singularia & vniuersalia.

Estne hæc potentia organica vel inorganica?

Est inorganica. Quia etiam sine organis, id est, oculis, auribus, & cæteris exercere actiones suas potest. Nam mens etiam à corpore separata per mortem sentit, intelligit, sapit, meminit.

Qualis est definitio intellectus?

Est partialis, siue ex partibus collecta, quæ mox enumerabuntur.

Quomo-

Quomodo intellectus cognoscit singularia?

Cum apprehendit ideas siue imagines rerum simplicium vt violæ, rosæ, pulegij, per sensus exteriores, auditum, visum, &c.

Quomodo cognoscit vniuersalia?

Cum ex multis singularibus colligit siue componit propositionem vniuersalem, per inductionem Dialecticam. Vt conspectis multis violis albis, luteis, purpureis, colligimus propositionem & dicimus: Omnis viola est flos.

Tamen vetus est dictum, sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium?

Hoc dictum non est intelligendum exclusiuè, vt excludantur ab intellectu singularia: sed inclusiuè, id est, vt simul cum vniuersalibus etiam comprehendantur singularia.

Estne in brutis quoq; intellectus?

Non. Etsi. n. apes & alia bruta efficiunt ingeniosa opera: tamen neq; numerare possunt, neq; actum reflexum habent, id est, non possunt iudicare de operib, suis. Actus reflexus est iudicium de operibus.

Inestne natura rerũ noticia, an verò vsu paratur?

Quædam noticiæ nobiscum nascuntur, quæ ob id principia & noticiæ naturales appellantur. Aliæ verò vsu discuntur & parantur.

Tamen Aristoteles negat vllas noticias artium nobiscum nasci, dum comparat intellectum τῷ γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον: *tabulæ, cui nihil actu inscriptum est.* Ergo

Ergo nulla noticiæ natura insunt menti.

Respondeo. Vera est Aristotelis sententia de actu siue habitu. Nascuntur enim nobiscum noticiæ tantum potentia, non actu, id est, inest mentibus nostris vis & facultas cognoscendi aliquid: sed nullius rei solidam noticiam natura nobis ingenerauit. Quod enim nosse volumus, id vt studio & vsu discamus & exploremus necesse est.

Hoc ipsum quoq; Cicero confirmat in præfatione tertiæ Tusculanæ: Natura nobis, inquiens, paruulos dedit igniculos, id est, scintillas. Suntque ingenijs nostris semina, id est, initia innata virtutum. Ita semina circumferimus noticiæ numerorum; sed numerare tamen rectè non possumus, nisi numerando nos exerceamus.

Quot sunt actiones intellectus?

Medici tres numerant, imaginationem, ratiocinationem & memoriam. Imaginationem vocant, quæ imagines ab externis sensibus oblatas apprehendit. Vt cum per visum imago violæ menti offertur, apprehendit eam mens & concipit noticiam violæ.

In scholis septem numerantur:

1. Simplicium cognitio.
2. Numeratio.
3. Compositio & Diuisio.
4. Ratiocinatio.
5. Memoria & recordatio.
6. Iudicium.
7. Conscientia.

I. Cognitio simplicium communis est homini cum bestijs. Equus, canis nouit suum dominum. Vacca nouit suum conueniens nutrimentum, asinus nouit suum pabulum, atq; etiam remedium, nempe asplenum, vel scolopendrium contra redundantiam atræ bilis. Hirundo nouit chelidonium, Bubo nouit saluiam.

II. Nu-

II. Numeratio soli homini propria est.

III. Compositio & diuisio est actio formans propositiones affirmatiuas & negatiuas. Vt, viola est flos: Honestas est colenda, sunt propositiones affirmatiuæ: quia duæ res sc. subiectum & prædicatum componuntur vel coniunguntur, vt ex eis vna fiat oratio. Contra, Rosa non est arbor: Turpia non sunt facienda, sunt propositiones negatiuæ: quia prior negat, hoc est, remouet arborem à rosa. Posterior verò negat facienda esse turpia. Ita initium noticiæ sumit mens à simplicibus, eaque postea vel componit vel diuidit, hoc est, vel coniungit affirmando, vel disiungit negando.

IIII. Ratiocinatio, quæ aliud ex alio elicit & concludit vel per syllogismum, vel per inductionem. Cum enim ex vniuersali elicimus particulare, fit syllogismus: Vt:

Omne honestum est vtile.
Dicere vitia rei vendendæ est honestum.
Ergò etiam est vtile.

Vel contra à singulari seu particulari ad vniuersale procedimus, Vt:

Improbus Cainus est punitus.
Improbus Cham est punitus.
Improbus Nero est punitus. Nec potest exemplum dissimile reperiri.
Ergò omnes improbi puniuntur.

V. Iudicium, cuius tria sunt κριτήρια, id est, normæ iudicij, principia, vniuersalis experientia, & regulæ Dialecticæ de bona consequentia in syllogismo, Per has enim mens iudicat, hoc est, vel amplectitur vel reijcit ratiocinationem.

VI. Memoria & recordatio in hoc differunt. quod memoria etiam est in bestijs, vt asinus est te-

naci memoria, Leo meminit accepti beneficij. Canis amat eum, quem fidum esse meminit. Sed recordatio est solius hominis vtpote, qui solus potest reuocare in memoriam, etiam quæ exciderunt.

VII. Conscientia testis benè vel secus factorum Syllogismum integrum componit, in quo maior est thesis, siue sententia Legis. Minor continet hypothesin siue speciem facti. Conclusio applicat hypothesin ad thesin. Vt cum Lex ait: Non occides. Conscientia addit minorem. Tu occidisti. Ergò feciſti contra Legem Dei.

Quod est obiectum intellectus, vel circa quid versatur intellectus?

Ens quam latè patet, id est, quicquid est extra & in ipsa natura rerum, id homo intelligere debet. Extra naturam est Deus. Hunc certè inprimis nosse debet homo. In natura sunt res naturales, quæ cognitæ & perspectæ vtiq; homini esse debent. Sed est ingens caligo mentium nostrarum, quam etiam deplorat Aristoteles, cum inquit, lib. 2. metaphysicorum, cap. 1. ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὴν καθ' ἡμέραν, οὕτω ἐ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Quemadmodũ oculi vespertilionum sese ad lucem diurnam habent, sic intellectus nostræ animæ habet se ad ea, quæ natura sunt omnium manifestatissima. Tanta itaque caligo facit, vt minus intelligamus Deum, & res ab ipso conditas in natura. Vt autem animæ rationalis duæ sunt potentiæ siue facultates, intellectus

tellectus scil. & voluntas: sic in intellectu sunt noticiæ, in voluntate προαίρεσις electio siue propositum bonum vel malum.

Quid est noticia?

Noticia est habitus intellectus, & alia quidem noticia dicitur intuitiua, qua rem præsentem, vel singulare aliquod cognoscimus. Alia abstractiua, qua absentia cogitamus & nouimus.

Alia diuisio:

Noticia aut est obiecti simplicis, vt cum pulegium cognosco, habeo noticiam rei simplicis: aut propositionum, quibus assentimur vel non assentimur, vt pulegium calefacit: est noticia propositionum.

Quotuplex est noticia propositionum?

Alia est certa, alia incerta. Incerta vel est opinio vel suspicio. Opinio, δόξα, cum languidè assentimur.

Suspicio, ὑπόληψις, cum sine probabili ratione magis in deteriorem partem inclinamus.

Quot sunt habitus intellectus secundum Aristotelem?

Quinque. Noticia principiorum, id est, rerum quas scire & facere debemus, Scientia, Ars, Prudentia & Sapientia. Dominus Philippus addit fidem scilicet historicam, cum aliquid certò credimus, quod narratur & asseueratur.

Quare noticia vocatur lumen?

Per Metaphoram, quia est similis lumini. Vt enim lumen illustrat rem vt perspici possit: sic noticia efficit, vt rem intelligamus, qualis sit.

Quid Aristoteles vocat νοῦν ποιητικὸν & παθητικὸν, intellectum agentem & patientem, lib. 3. cap. 5. de Anima?

Agentem intellectum appellat acumen, & vim diuinitus insitam ad inueniendum & excogitandum siue ratiocinandum bona, honesta, & vtilia. Estq; hic intellectus similis Poetæ siue actori, siue doctori, aut dictatori. Patiens verò intellectus est, qui inuenta intelligit, & tanquam dictata accipit, hic est similis discipulo. Intellectus agens est vis siue acumen inueniendi aliquid laude & imitatione dignum. Qualis fuit in Archimede, qui inuenit machinas bellicas, & in monacho, qui typographiam inuenit. Item in Aristotele qui primus definiuit virtutem quod sit habitus bonus &c.

DE VOLVNTATE SEV PARTE APPETENTE.

Quid est voluntas?

Voluntas est potentia appetens suprema, & liberè agens, monstrato obiecto ab intellectu.

Actiones voluntatis propriæ sunt, velle, nolle, suspendere actionem, id est, differre opus, imperare locomotiuæ. Hæc enim complectitur προαίρεσις, quæ

quæ est in voluntate, scilicet sponte velle aut nolle honesta & inhonesta, præcedente deliberatione. Voluntas imperat manibus. Si tu vis, oportet manum attingere librum, si non vis, oportet manum non attingere librum. Si tu vis, respondes molliter, si non vis, vel voluntas tua non fert, aspere respondes.

Quomodo diuiduntur Actiones voluntatis?

Aliæ dicuntur Eliticæ siue προαιρετικαὶ, in quibus serio & liberè voluntas hoc vult, quod in sermone, gestu & actione foris ostenditur.

Aliæ nominantur Imperatæ seu simulatæ, βουλήσεις, id est, simulationes, in quibus non congruunt affectus cordis, cum imperio voluntatis, regentis locomotiuam.

Quotuplex est imperium voluntatis?

Duplex. πολιτικὸν ciuile, & δεσποτικὸν herile. Cordi enim imperat voluntas πολιτικῶς, ciuiliter, persuasione magis reprimens affectus, quàm coactione. Membris verò seu Locomotiuæ potentiæ imperat δεσποτικῶς, heriliter, perinde, vt herus seruum regit.

Cicero in fragmentis: Animus imperat cordi, vt rex ciuibus suis, aut parens liberis. Libidini autem, vt seruis Dominus, quòd eam coercet ac frangit.

In qua differt Aristotelis sententia à Ciceronis?

Aristotelis sententia loquitur de facto, Ciceronis de iure.

Quod est obiectum voluntatis?

Est Ens, quàm latè patet, id est, voluntas debet appetere & eligere Deum conditorem suum, & res bonas cæteras à Deo in natura conditas.

DE SOMNIIS.

Pertinent ad interiores sensus etiam somnia, cum mens concipit vel inspiratum sibi aliunde, vel à corporis humoribus, aut diurnis actibus subministratum. Cum enim animus non quiescat: etiam cessantibus corporis actionibus, ipse aliquid cogitat, fingit aut reminiscitur. Cicero. 1 de Diuin. Iacet corpus dormientis, vt mortui: viget autem & viuit in somno animus.

Sunt autem quadruplicia somnia, alia diuina, quæ Deus vel per se, vel per angelos mentibus inserit, habentq; testimonium certum, quod diuinitus ostendantur. De his Siracides 34. inquit: Si non fuerint ab altissimo monstrata somnia, nihil eis tribue.

Duo ego somnia memini iucundissima, quæq; ex animo meo nunquam effluunt. Cum enim aliquando grauissimis ac diuturnis calculi doloribus conflictarer, nihilq; mihi tam esset in votis, quàm vt per mortem ex hac vita in alteram migrarem: semel in somnis vidi aduentantem in nubibus filium hominis, specie humanitatis & oblectationis adeò plena, vt ad sensum meum penetraret, & desiderium sui ingens ac perpetuum in animo meo reliquerit. Iterum secundum quietem visus sum mihi videre currum cœlestem, qui me excepturus erat,

erat, & in cœlum subuecturus: Credo ex altiore cogitatione migrationis in cœlestem patriam ex luctu & squalore huius vitæ. Nec dubito à spiritu bono tales mihi ostensas esse imagines, quæ doloris acerbitatem lenirent, & præsentia filij Dei, secuturæq; mox melioris vitæ spe consolarentur.

Alia Diabolica, quæ per malos & impuros spiritus offeruntur, cuiusmodi sunt veneficarum.

Alia præsagientia, quæ velut pingunt futuros euentus, in genere tamen, non ferè in specie. Horum tamen alia sunt ἄσημα id est, nihil significantia, alia σημαντικὰ, id est, significantia. De nihil significantibus Tibullus ait:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Et Siracides cap. 34. Qui multum tribuit somnijs, captat vmbram, & ventum persequitur. Nam somnia nihil aliud sunt, quàm fallax, sine re, similitudo. Et Salomon, Vbi est multum somniorum, ibi est multum vanitatis.

Σημαντικὰ sunt, cum præsagit animus, hoc est, futura prospicit, vel quæ geruntur, absens sentit. Exemplum insigne est lib. 1. de Diuinatione de duobus Arcadibus, vna iter Megaram facientibus: Eo cum veniissent, alter ad cauponem, alter ad hospitem diuertit.

Cum autem peracta cœna, quieti se vterque dedisset: per quietem visus est sibi videre is, qui in hospitio erat, alterum, qui ad cauponem diuerterat, orantem scilicet, vt si se saluum velit, ilico subueniat. Nam interitum sibi à caupone parari. Hoc cum ille pro nihilo habendum duxisset: iterum visus est idem orare, vt quoniam sibi viuo non subueniisset, nunc mortuo non desit, sed cædem vlciscatur.

Se enim

Se enim in plaustrum coniectum stercoreq; contectum mane exportatum iri. Idq; si ad portam adsit, facilè ipsum deprehensurum. Commotus igitur tanto somnio, tandem solutus somno ad portam ille perrexit, & cum plaustrum exire videret, quid esset in plaustro quæsiuit. Qua voce statim perterritus caupo fugit, & mortuus est erutus.

Alia physica, quæ nimirum ex certis humoribus in corpore, vel ex rebus, quæ interdiu aguntur, aut cogitantur, existunt. Galenus libro de insomnijs: Somnia alia ex corporis dispositione, alia ex ijs, quæ agimus, emergunt. Primùm enim bilioſi somniant colores flauos, incendia, vstiones, contentiones, pugnas, volatus. Sanguinei verò rutila, læta, conuiuia, choreas, complexus. Phlegmatici aquas, balnea, mersiones in aquam, onere grauantia & impedientia incessum. Melancholici tristia, tetra, caligines, atros fumos, oberrationes nocturuas, spectra & vagationes per loca solitaria. Sitibundi potum.

Deinde verò somniamus sæpenumero ea, de quibus vigilantes aut cogitauimus, aut egimus, sicut apud Theocritum piscator ait:

πᾶσα κύων δέτας μαντύεται, ἰχθυα δ' ἐγω.

Omnis canis somniat panes, ego verò pisces.

Et Claudianus:

Causidicis lites, aurigæ somnia currus.

Ciceronis præceptum in lib. 1. de diuinatione ex Platone: Plato sic iubet ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemq; afferat. Qui enim integri ad quietem eunt, his visa quietis occurrunt tranquilla atq; veracia: qui verò onusti cibo & potu se quieti tra-

etĩ tradunt, his perturbata, tetra, & horrenda visu obijciuntur.

CONFIRMATIO IMMORTALITATIS ANIMAE.

Etsi de Immortalitate Animæ non fas sit dubitare sano homini: prodest tamen rationes tenere contra dubitationem, quæ assensionem de conditione seu statu Animæ post mortem confirment Est autem duplex sententia, alia Philosophica, alia Theologica.

Quid Philosophi censent de Animæ immortalitate?

Alij duxerunt, Animam vna cum corpore interire:

Alij post separationem corporis superstitem esse, & immortalem statuerunt.

Argumentum Panætij.

Quicquid nascitur rursum interit.
Animus nascitur, id est, habet certum initium.
Ergo etiam interit siue moritur.

Respondeo ad Maiorem per distinctionem. Aliud nascitur ex Elementis, & rursum interit. Aliud verò cœlestem vel diuinam habet originem, vt Anima, quæ non interit. Res quæ nascuntur, sunt duplices.

Aliæ Elementares, aliæ cœlestes. Elementares intereunt. Cœlestes verò non intereunt.

Contra verò Cicero, Plato & Xenophon Animum immortalem esse iudicarunt. Idq; sic probarunt.

I. Quia

I. Quia origo & natura eius est diuina, vel vt Pythagorei dixerunt, animus ex vniuersa mente diuina haustus, acceptus, & libatus est, id est, plantatus. Cice. in 1. Tuscul.

Quod diuinum est, non moritur.
Animus est diuinus.
Ergò non moritur.

II. Quia Animæ nihil est admixtum, nihil concretum, hoc est, Animus non est ex Elementis compositus. Ergò non potest interire cum rebus ex Elementis conflatis.

Quicquid interit, est ex Elementis conflatũ.
Anima non est ex Elementis conflata.
Ergò Anima non interit neq; moritur.

III. Quia opera siue effectus Animi sunt diuini & cœlestes, vt sentire præterita & futura.

Ergò ipse quoq; animus est cœlestis & incorruptibilis.

Qualis effectus, talis causſa.
Effectus Animæ sunt diuini.
Ergò Anima quoq; est diuina.

IIII. Quia ordo iusticiæ diuinæ expostulat, vt præmia tribuantur iustis, & pœnæ iniustis.

Sed in hac vita sæpe non contingunt præmia iustis, & pœnæ improbis.

Ergò post hanc vitam alia supereſt vita, in qua pijs benè, impijs malè erit.

V. Plato in Axiocho ait: ἡ δ' ἐξ ζωῆς ἀπαλλαγὴ κακῶν τινὸς ἐστὶν εἰς ἀγαθὸν μεταβολή. Discessus ex hac vita est mutatio mali in bonum. Ergò post mortem quoque superstes est & viuit Animus alicubi, vt bono tanto fruatur.

DE

DE LOCO ANIMÆ POST SEPARATIONEM A CORPORE.

Socrates putauit Animum, cùm è corpore excesserit, ad cœlum redire, vnde in corpus humanum sparsus est. Sed copulationem Animæ cum corpore, in vniuersali resuscitatione mortuorum, Philosophia planè ignorat & negat.

Cicero etiam, quamuis multa præclarè de Animi diuinitate disputet: tamen fatetur, se in summa hæsitatione, tanquam ratem in immenso mari fluctuantem, versari.

Et Atticus ait, se, dum legat Platonis Phædonem, assentiri quidem, hoc est, probare opinionem de Animæ immortalitate, sed cùm posuerit librum, & ipse cogitare incipiat, assensionem illam omnem elabi.

Socrates in vltimo iudicio iam morte mulctatus, ait apud Platonem: Tempus est iam hinc abire me, vt moriar, vos vt vitam agatis. Vtrum autem sit melius, Deus nouit, hominem quidem scire arbitror neminem.

Fuit magna autoritate Philosophus, qui ad vitæ exitum vocatus, vehementer animo suo angebatur, de migratione, dubitans, qua conditione animus post mortem futurus esset. Cumq; alium portum nullum inueniret, Philosophos duos accersiuit, eosq; de animæ conditione post discessum de corpore disputare iussit, inquiens: En migrandum nunc est mihi, & deserenda hæc mortalis vita. Quare vos mihi dicite, quid de me futurum sit, victuruſne sit animus, extincto hoc corpore, nec ne? Hoc enim nisi exploratum mihi fuerit, quó nam animo ex hac vita discedere potero?

Hic

Hic cœperunt Philosophi acriter de Animæ natura contendere, & alter quidem mortalem, alter verò immortalem eam esse asseruit. Cum autem sese expedire nullo modo possenti, mæstus tandem ægrotus inquit, Age ex-periar nunc, vter vestrum rectius senserit.

Theologia verò diserte affirmat, & esse animam immortalem, & rursum aliquando redituram in domicilium corporis sui : & locum etiam ipsum nominat, in quo vsque ad extremum iudicium anima commoratur & custoditur.

Quod anima non moritur, sic probat scriptura cœlestis.

I.

Quia est spiritus, qui non potest mori. Gen. 2. Matth. 10 Nolite timere eos, qui corpus quidem occidunt, animam verò non possunt. Genes. 2. Inflauit ei spiraculum vitæ.

II.

Quia Deus est Deus viuorum.
Deus est Deus Abraham.
Ergò Abraham viuit, quamuis corpus sit mortuum. Matth. 22.

III.

Ab exemplis. *Moses & Elias cum Christo colloquuntur in monte Thabor. Luc. 9. quamuis Moses ante annos mille, quingentos discesserat. Ergò verò viuunt.*

IIII.

A testimonio Christi Ioan. 11. *Qui credit in me non morietur in æternum. Ergò Anima non extinguitur, sed viuit semper.*

V.

Est et-

Est etiam firmum Argumentum à causſa ad effectum, vel à natura relatiuorum.

Christus resurrexit, & viuit.
Christus est autor & caput nostrum.
Ergò nos quoq; resurgemus, & anima cum corpore denuo copulata, victuri sumus.

Quod enim in Christo valet, idem in membris eius valere necesse est. Paulus 1. Cor. 15.

Quod verò corpus ipsum renouatum recepturi simus, in resurrectione mortuorum, perspicuè docet testimonium Iobi. 19. Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurgam, & videbo Deum de carne mea.

Locus siue sedes, in quam anima corporis compage soluta migrat, in eaq; requiescit, vocatur Paradisus. Luc. 23.

Sinus Abrahæ. Luc. 16.
Manus Dei. Sapient. 3.
Scheol. Genes. 43. id est infernus: qui absq; vlla dubitatione est locus mortuorum sub terra.

FINIS.

APPELLATIONES, ET CAVSÆ MORBORVM SEV VITIORVM corporis in singulis partibus.

MOrborum alius est curabilis, heilbar / alius incurabilis, vnheilbar. Hydrops est morbus incurabilis, nisi curetur statim ab initio.

Alius Epidemius, ein seuche die hin vnd wider heimlich einreisset/epidemius, id est, popularis.
Alius vniuersalis, ein gemeine Landseuche.
Alius cœcus, verborgen vnd vnbekand.
Alius acutus, geschwinde kranckheit/die es bald ausmacht.
Alius chronicus siue diuturnus, langwirige kranckheit.
Symptoma, das neben der kranckheit zuschlegt.
Morbi accessio, id est, initium, wenn einen die kranckheit ankommet.
Morbi incrementum, zunehmung.
Morbi status seu vigor, wenn die kranckheit am hefftigsten ist.
Crisis morbi, wenn die Natur mit der kranckheit strettet/das man sehen kan wo es hinaus wil/ id quod fit die quarto, septimo, decimo quarto, decimoseptimo. Ex quo critici dies appellantur, id est, iudicatorij.
Morbi decrementum, Nachlassung der kranckheit.
Cachexia, böse gestalt des Leibes.

CAPITIS MORBI SEV VITIA.

Alopezia, à vulpe nominata, defluuium est capillorum, ausfall des haars/ ex humorum prauitate oritur.
Caluities, kalheit/ ex defectu humorum.
Porrigo, πτυρίασις, furfures seu squamulæ in capitis cute, grind des heupts/schuppen/ ex vitioso quopiam humore.
Phtiriasis, pedicularis morbus, die leuse sucht/ ex multis calidis humoribus.

Achores,

Achores, vleuſcula capitis, **fliessende geschwer des heupts**/ ex humore mordaci & craſſo.

Cephalalgia, capitis dolor, **heuptwehe**/ interdum ex ſola intemperie ſeu diſcraſia, quandoq; ex humorum redundantia, vel ventriculi vitio, cum vel praui vapores, in caput exhalant.

Cephalæa, κεφάλαια, diuturnus capitis dolor, **ſtetige weetage des heupts**/vel ex humorum plenitudine, vel ex vaporum acrimonia.

Hemicrania, dolor capitis in dimidia parte, **auff der einen ſeiten**/ex influxu vaporum, vel humorum frigidorum & calidorum.

Vertigo, **Schwindel**/ σκότωμα, cerebri infirmitas eſt, vel ex craſſo & lento humore. vel vaporoſa exhalatione ex ventriculi ore.

Phrenitis, vel phreneſis, inflammatio cerebri, aut membranarum eius, **vnſinnigkeit**/ ex ſanguine exuperante, vel alio humore bilioſo.

Lethargius, vel veternius **ſchlaffſucht**/ penè inexpugnabilis dormiendi neceſsitas, omnium rerum obliuionem inducens. λήθη enim eſt obliuio & ἀργὸς ocioſus vel iners. Fit ex pituita opplente cerebrum frigore ac humore nimio.

Carus, **harterſchlaff**/ **darin man nichts fühlet**/ **ſondern nur allein adem holet**/ ex humore frigido, craſſo, & omnino viſcido cerebrum occupante.

Coma, ſopor grauis, & profundus, cum quis conniuentes oculos habet, & vigilare nequit, fit ex nimia cerebri irrigatione.

Incubus, ephialtes, **dz nachtmenlein**/ cum quis in-

vadi se ab alio credit, vel pondere grandi premi **der Alp.** accidit ex crapula & continua ventriculi cruditate, vnde vapores crassi & frigidi in caput ascendentes cerebri ventriculos replent, & meatus eius obstruunt, vt suffocari se quis existimet.

Apoplexia, **der Schlag oder Tropff** / priuatio sensus est & motus in vniuerso corpore, ex pituitoso, hoc est, frigido, crasso, lentoq; humore cerebri ventriculos semel & cumulatè replente.

Hemiplexia vel ἡμιπληγία, **der halbe schlag.**

Paralysis, **die lehme / oder gichtbrucht** / latine resolutio, cum alterum duntaxat latus sensum simul ac motum amittit, fit ex multis, & lentis humoribus, neruos obstruentibus.

Epilepsia, **der schwere gebrechen / oder fallen de sucht**, qui & comitialis morbus, & sacer, id est, magnus. Item Herculeus, Caducus, lunaticus dicitur. Accidit ex crasso, lentoq; humore pituitæ, seu atræ bilis, meatum spiritus in cerebri ventriculis obstruente: vnde neruorum principium seipsum quatit, quo id quod noxium est expellat. Ex quo tanta confusio omnium corporis partium existit.

Spasmus, latinè conuulsio, **der krampff / oder einschrümpffung des geäders** / fit ex plenitudine, vel inanitione neruosarum partium, perinde vt lorum nimia humiditate extenditur, siccitate vero contrahitur.

Melancholia, **Schwermütigkeit** / ex melancholico scilicet humore cerebrum occupante.

Lycanthropia, cum quis in lupum sese conuersum imaginatur.

Tremor, **das zittern** / ex neruorum imbeciltitate.

Catarrhus, latinè destillatio, cum ex capite humor ad os seu fauces labitur, **Ein flus der in hals fellet.**

Grauedo,

Grauedo, cum humor ad nares defluit, κόρυζα, ein flus/der in die Naſen fellet/vulgo, der Schnupffen.

Raucitas, vel raucedo, heiſcherkeit / cum humor deſtillat ad guttur, vel aſperam arteriam: Interdum ab ambiente frigore excitatur, quando ſcilicet frigus capitis humores exprimit, perinde vt ex ſpongia exprimitur aqua. Quandoque ex calore ambiente, vel circumdante caput, humoresq; diſſoluente, vt deſtillare cogantur.

OCVLORVM VITIA.

Ophthalmia, latine lippitudo, das flieſſen/ oder trieffen der augen/ fit vel ex plenitudine totius corporis, vel ex influentium humorum acrimonia, vel ex craſſorum, aut flatulentorum ſpirituum intenſione, ὀφθαλμὸς oculus. Ophthalmicus qui oculis laborat.

Pterygium, vnguis oculi, ein fell oder nagel im auge/ oritur vel ex ſcabie, vel continuo craſſorum & lentorum humorum defluxu.

Suffuſio, ein ſtern/oder fell im auge/ ex humore craſſo, iuxta pupillam, inter corneam, & cryſtalloidem, collecto.

Phlyctenæ, hitzbletterlein in den augen ἀπὸ τοῦ φλύειν, ab ebulliendo ſeu feruore.

Vlcus oculi, augengeſchwer.

Albugo, das weiſſe fell in augen.

Sugillatio, vel liuor, blawe augen.

Obſcuritas viſus, blöde geſicht/ cum vel Spiritus craſſeſcit, vel tunicæ denſantur, vel humores oculorum lentiores fiunt.

Νυκτάλωψ, Nuſcitoſus, qui interdiu videt,

ὑπόβασμα dr. ſuffuſio ſanguinis in oculo ex ictu.

noctu, id est, ad lucernam non, Aegylops, fistula oculorum, fliessende löchlin in den augen winckeln/ fit à vitiosis humoribus.

Glaucoma, cum humor crystallinus in glaucum colorem mutatur, ein grawes fleck im augen.

Delacrymatio, ein schneller flus in den augen.

Gramiæ, augenbutze/ cum colligitur in oculis materia caseo similis.

Crithe, ein gerstenkorn im auge / hordeolum latine, est abscessus grano hordei similis.

AVRIVM VITIA.

ὠταλγία, aurium dolor.

βαρυηϰία, vel δυσηϰία, difficilis auditus, beschwerung am gehör.

Tinnitus, vel sonitus aurium, das sausen im ohren/ generatur plerunque à flatuoso spiritu.

ϰώφωσις, daubsucht/, interdum cum homine nascitur, interdum ex bilioso humore sursum vergente, vel ex crudis crassisque humoribus auditum obstruentibus, nonnunquam etiam ex sordibus aurium meatus obdurantibus, prouenit.

Parotis, geschwulst hinder den ohren / ex calido sanguine, qui vel bilioſus, vel melancholicus, vel pituitosus est.

NARIVM.

Ocœna, vlcus narium profundum, & putridum,

dum, ein böses stinckendes geschwer / in der Nasen/oritur ex acrium putridorumq; humorum illuuie.

Profluuium sanguinis è naribus, Hæmorrhagia græce, proficiscitur à sanguinis copia, vel tenuitate, vel externa aliqua causa.

Sternutatio, vel sternutamentum, fit ex calore aut humore mordace, à capite defluente. Sternutationis effectus est bonus, sed causa est mala, quia est ex oppletione cerebri.

Polypus, Nasengeschwer/à difficultate curandi vocatur, noli me tangere: quia Medicus pro desperato suscipit eum, qui polypum habet.

ORIS ET COLLI.

Aphthæ, bletterlein am munde.

Fœtor, stinckender athem/oritur ex putrescentibus gingiuis, vel ex cibis hærentibus inter dentes.

Odontalgia, id est, dentium dolor, ex calida, aut frigida intemperie, nonnunquam etiam ex humorum de capite in radices dentium defluxu, qui acrimonia sua rodunt illos, & quasi inflammant.

Hæmodia, stupor dentium, wenn sie stumpff werden / ex acerbitate, vel aciditate cibi alicuius.

Dentitio, das zanen der Kinder.

Liuidentes, wüste schwartze zeene.

Ranula, Tumor sub lingua, die Krôte.

Inflammatio columellæ, entzündung des zepfflins / ex influxu sanguinis, aliorumq; humorum ex capite.

Laxatio columellæ, wenn das zepfflin fellet.

Inflammatio tonsillarum, geschwülst der mandel im halse/ fit plerunque à nimia meri potione, vel voracitate acrium ciborum.

Alcola, die breune/ oris inflammatio, wenn die zunge schwartz wird/ ex calore nimirum.

Struma, der Kropff/ generatur ex crasis & glutinosis humoribus.

Angina συνάγχη, halswehetag/ inflammatio est in gutture, vel faucibus, ex sanguine copioso & calido, præter naturam ad hunc locum confluente.

Parasynanche, auswendig halsgeschwer.

Blæsus, τραυλος, qui exprimere nequit literam R.

Balbus, der da stammert.

Tetanus, wenn man den hals nicht beugen oder wenden kan/ accidit ex plenitudine aut inanitione neruorum.

PECTORIS.

Tussis, der husst/ vel ex intemperie frigida instrumentorum, respirationi inseruientium, vel ab humoribus, ad asperam arteriam destillantibus.

Asthma, das keichen/ Asthmaticus, dem enge vmb die brust ist/ anhelosus, vel suspirioſus.

Fit à crassorum, & tenacium humorum copia, aut tumore aliquo.

Dispnæa, difficultas spirandi, schwere des athems.

Orthopnæa, wenn einer nicht athemen kan/ denn mit ausgerecktem hals.

Oscitare gehnen/ præ somno, aut tædio.

Pleuritis, dolor lateris, seitenwehe/ ex sanguine copioso & calido, membranam, quæ costas & latera succingit, inflammante, acutus morbus est, &

plærunq;

plærunque etiam initium febris.

Peripneumonia, inflammatio pulmonis, **lungen ſucht**/ ex validioribus in pulmonem deſtillationibus plerunq; oritur.

